

3.
CASPARI BVCHERI,
Inclyta in Academia Tubingensi Orato-
ria Professoris.

MERCVRIVS

Sive


ORATIO:

IN QVA, OCCASIONE FABV-
LÆ DE MERCURIO ET STATUARIO,
prodigiosi Philantiæ Mercatores, nec non de-
formes Criticorum Simiæ per-
stringuntur.

C V I,

Annexa est etiam altera, in qua ad quasdam eo-
rundem Objectiones respondetur.

ILLA, IN PROMOTIONE 43. BONARUM
ARTIUM ET PHILOSOPHIÆ BACCALAU-
reorum 29. Martii: Hæc, in 30. Baccalaureorum
creatione 20. Septembr. ha-
bita.



TUBINGÆ,

Typis Iohan-Alexandri Cellij,

ANNO M. DC. XV.

NOBILISSIMO ET AM-
PLISSIMO VIRO,
DN. CAROLO RECH-
LINGERO, PATRICIO AV-
GUSTANO: INCLYTI GYMNASII
Augustani ad D. Annæ Scholarchæ, atque
Ephoro dignissimo eminen-
tissimoque:

*Dn. Fautori ac Patrono suo, officiosè ac
reverenter colendo:*

Debitæ Gratitude ergò, in certum & per-
petuum observantiæ symbolum, sub-
missè offert, dicat, con-
secratque.

Autor.

I.
CASPARI BVCHERI,
MERCVRIVS

S I V E
O R A T I O:

IN QVA PRODIGIOSI
PHILAUTIÆ MERCATORES, NEC
non deformes Criticorum simiæ
perstringuntur.

MAGNIFICE DO-
mine Rector, Viri Reverendi, No-
biles, Amplissimi, Consultissimi,
experientissimi, clarissimi, huma-
nissimi: Tuq; studiosorum Corona nobilissima,
Florentissima, ornatissima, Hospites honoratif-
simi, acceptissimiq;.

Producimus in conspectum vestrum,
43. Philosophiæ Candidatos, hoc in augustissimo
litteratissimorum hominum confessu, prima Lau-
rea honoribus ornandos. Ne verò illotis, quod
ajunt, manibus, rem aggrediar; pro laudatissimo

Academia nostra more, aliquid praefari libuit; siphone, Philosophorum è myropolio, & Poëtarum Fabulis deprompto; partim, ut deformes quosdam Mercurii fœtus conspergam atque proluam: partim, ut Hospites nostros longiusculo itinere fessos, Apologo, lepore Poëtico condito reficiam; & Candidatos nostros, post exantlato studiorum labores, non nihil relaxem.

Neque enim, ut quidam nugantur, nugæ, meraq; mendacia putanda, quæ Poëta fingunt, hoc vulgi scommate excepti: Poëta multa mentiuntur: Quippe qui primo quidem intuitu res fabulosas, & quasi falsas & incredibiles; mirabiles tamen & illustres, cum jucunditate quadam, & delectatione singulari conjunctas proposuerunt. Quò alludit Horatius:

*Et prodesse volunt, & delectare Poëtæ:
Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci.*

Nec sunt ignota vobis, Nobilissimi & Humanissimi Juvenes, Sapientissimorum hominum elogia; quibus Poesin celebrandam putarunt: quam alij, florem & thesaurum Eruditionis; alii, omnium Disciplinarum delicias; alij, omnis sapientia diuina & humane spectaculum, Poëtici
pictu-

picturis exornatum nuncuparunt. Unde Philosophorum princeps Plato, prima puerorum eruditionis, ab honestis Fabulis initium fieri voluit. Cui suffragantur magni nominis Theologi, & Philosophi; Martinus Lutherus, Philippus Melanchthon, Muretus & alii: qui Fabulas ob insignem illarum usum & fructum, Studiosæ Juventuti summopere commendarunt; earundemque Inventores, summis laudibus dignos judicaverunt.

Quorum è numero Æsopus, non immerito primum sibi vendicat locum; cujus Fabula in tanta olim fuerunt autoritate: ut quicumque eas non legissent, rudiores plerunque & indoctiores haberentur: de quibus notum est Adagium, quo, qui parum in studiis profecissent, ne Æsopum quidem trivisse dicti fuerunt.

Placet autem mihi, in hoc solenni Actu, hoc tempore, in quo, Francosurtenses ad Nundinas, nundinatum abeunt Mercatores; de Mercatorum Deo Mercurio, & Statuario, Fabulam in medium afferre: in qua sordidos Philantia: Mercatores, scite falseque perstrinxit & certis quibusdam signis descripsit; ut ab ea homi-

nes, ad modestiam revocaret. Siquidem nemo est, ut Poëta inquit, quem non cernas aliqua in re Suffenum.

Qua de re dum paucis, stylo tenui & simplici dicturus sum, Magnificent. Dignitatem, Excellent. & Hum. V. V. reverenter & officiosè rogo, ut pro singulari benevolentia, & humanitate vestra, verba mea benignè audiatis.

Fingit Æsopus, olim Mercurium gloriosius de se, quam par est, judicantem, & ambitione cupiditateq; honoris incitatum, se in figuram hominis transformasse, atque in officinam Statuarij ingressum, ut quid de se homines sentirent, presentisceret. Quo cum venit, ordine videt positas varias, & admodum elegantes, artificiosèq; sculptas imagines; quas singulas perlustrat, & primum, quanti Jovis simulachrum veneat, cupidè interrogat. Cui Statuarius, drachmâ inquit. Mox subridens ille, at Junonis hoc quanti? Aliquantò pluris, inquit. Ille verò horum elegantiam, ut erat superbus, præ se contemnens, reliqua ordine contemplari, de sua non in conspectu tum posita (quia fortasse rariùs ab hominibus emebatur) curiosius circumspicere. Ne autem

ven-

venditori percontando, nihilq³ emendo, ut à multis sit emptoribus, molestus esset: Quanti igitur, ait, illa duo dabis? faciamus enim pretium: sesquidenario, inquit ille. Fortè autem & Mercuriale videns signum, etiam illud licitatus est, sperans hoc suum longè carius aestimatum iri: quippe Mercurii quod esset, Deorum Nuncii & Interpretis: cuius Numen in spelucris omnes Mortales, præsertim Mercatores colerent atque invocarent. Tùm Statuarius: illa duo signa eo si pretio, quod indicavi, emeris, hoc in cumulum accedet. Quam ad vocem obmutuit Mercurius, pudoreq³ suffusus, clam ab eo discessit.

Audistis Fabulam Auditores: nunc, qualenam Mercurio Patienti, gravi tenaciq³ Phidias morbo conflictato, lixivium temperet Æsopus, attendite.

Sed antequàm illud suffundatur, sciendum est, Poëtas per Saturnum, Jovem, Junonem, Mercurium & similes appellationes; non intellexisse Deos. Id quod Lactantius hisce nos edocet verbis: Ipse (Jupiter) furto servatus, furtimque nutritus, Zeus sive Zeus appellatus est, non ut isti putant, à fervore cœlestis ignis: vel quòd vitæ sit da-

tor,

Lact. de falsa
Religione
cap. 11. & 17.

tor, vel quòd animantibus inspiret animas: quæ
 virtus solius DEI est (quam enim inspirare possit
 animam, qui ipse accepit aliunde?) Sed quod pri-
 mus ex Liberis Saturni in maribus vixerit. Po-
 tuerunt igitur homines alium Deum habere Re-
 ctorem, si Saturnus non fuisset ab uxore delu-
 sus? At enim Poëtæ ista finxerunt. Errant, quis-
 quis hoc putat. Illi enim de hominibus loque-
 bantur: sed ut eos ornarent, quorum memo-
 riam celebrabant, Deos esse dixerunt. *Hæc La-
 ctantius: Et Arnobius de hoc ipso Mercurio:*
 Mercurius, *inquit*, quasi quidam medicurrius
 dictus est: & quod inter loquentes duos, media
 currat & reciprocetur Oratio, nominis hujus cõ-
 cinnata est qualitas. Ergò si hæc ita sunt, non
 est Dei Mercurius nomen, sed sermonis recipro-
cantis & vocis, atque ita hoc pacto aboletur, &
 extinguitur Caduceator Cillenius, in algido fu-
 sus monte; verborum excogitator & nominum:
 Nundinarum, mercium, commerciorumque
 mutator, &c.

*Ex dictis itaque constat, Mercurium hunc,
 non Deum, sed hominem fuisse: hominem verò
 multarum Artium & scientiarum, quas ipse in-
 vene-*

venerit, cognitione instructum, atque singulari
 Eloquentiâ divinitus ornatum: sed vento super-
 bia & ambitionis inflatum. Quam, in istâ
 Fabula, in qua præcipuam agit personam Mer-
 curius, superborum & arrogantium hominum
 typum referens, vivis quasi coloribus depingit
 Æsopus. Quæ Mercurij Soboles, cum magnas
 ubique Gentium turbas cieat, & Literatis, Li-
 terasq; sectantibus Adolescentibus, nunquam
 non insidietur: idcirco in horum gratiam, eam
 in hoc Theatrum producere libuit, ut nostram in
 Academiam, tanquam Mercatores, ad merca-
 turam bonarum Artium profecti, improbis pu-
 tridisq; fucata istius venditricis vel Meretricis
 cognitis mercibus, ab ea sibi cavere discant. Nos-
 se siquidem hanc, salus est Adolescentulis. Ut huc
 accomodem, quæ de Meretricularum sordidis
 moribus prudenter Terentianus monet Par-
 meno.

Nunc igitur Mercurium, ne fortè se subdu-
 cat, & illotus à nobis abscedat, revocemus: Deo-
 rum Nuncium, Mercurium inquam, qui sanè
 non aliquà necessitate, vel Jovis aut Junonis jussu,
 sed curiositate ac Philauliâ compulsus, ex atherea il-

la, in hanc sublunarem, nimbosam, pluviis im-
bribusq; exundantem Regionem modò se demisit,
revocemus; Et qualiãnam nova nobis afferat,
percontemur: ut hospitem benè lautum probeq;
depexum Apollini remittamus. Heus, resiste,
resiste Caduceator Cillenie, Deorum Interpres
Et Legate eminentissime: atque ingratiã tuorum
Mercatorum, quos jucundissimo tuo con-
spectu exhilarabis plurimum, Fabula, qua de te
narratur, enodanda, pauxillum temporis tribue.
Cum verò jam non Jovis, sed propriam acturus
causam, è cælo in terram descendisti: potes, ut
olim Jovi Alcumenam visenti fideliter inser-
viens, servi Sosie; ita nunc Emptoris personam
recipere, Legati deponere; caduceum, cuidam è
Suffenis tuis pedissequis, reservandum committe-
re. Non te puduit cum Statuario conferre, nec
te pudebit, etiamsi somniorum Interpres es, à
Fabulatore Æsopo nunc discere, atque ex illo, so-
mnii tui interpretationem, haud invitum audi-
re; Ne hunc si non audiveris, rudior Et indoctior
ad Superos redeas. Novit is ingenium tuum, no-
vit artes Et mores tuos; res à te præclarè gestas,
honores, fortunam Et casus tuos; quantum vis li-

cet Astrologus sis: multò tamen melius actu ipse, memorabit. Tu tui amore ebrius, sicut ebrii solent, pro uno, gemina; falsa pro veris vides: Diva quævis te vexat: urit miserum gloria pectus: urit, & aures vellicat Lyrici vox:

Pulchrum est digito monstrari, & dici: Hic est.

Quare in officinam, è qua es egressus modò, te recipe; ut quid de tua Statua statuant homines, ex Statuario audias, certiusq; explores. Transformabit se hic tuo exemplo, & in investigandis hujus morbi causis, personam Medici capiet. Novit is, è quam materia, tua sit fabricata statua, & effigies. Non enim ex quovis ligno fit Mercurius: novit, quàm Arte elaborata & perpolitata sit, ne ambigas: novit etiam, quo nervo & tumore squaleat, turgeat vè: ut qui optimè de Arte sua judicare scit Artifex: Novit & lixivium, quod benè preparatum & calidum, capiti affundat tuo; ut frigus in illo, quem dixi, monte algido attractum, expellat: aut si mavis, nigrâ illud nive, aut pice albâ de alba: aut si Æsopi non sapit pharmacum; exoticum illud, quod Zeno Citius in Stoicorum porticu olim vendita verat, alexipharmacum sume: in sola virtute, non in Hono-

nore, quem Tutam rabiðe appetis, beatam vitamponens: vel in Equuleum, aut in taurum Phalaridis intra, ut perpetuò gloriam sitias.

Sed cum perpetuà & inextinguibili premi siti, miserum, planeq; intolerabile sit; neque in te curando oleum & operam perdat Medicus; Agessis, hoc unguentum fronti illine, quod à Medica quadam Jocasta sibi communicatum, ex Phœnicia ad nos usque pertulit Euripides; ita Septastariorum more clamitans.

Eurip. in
Phœniss.

τί τῆς κακίτης δαιμόνων ἐφίεσαι
 Φιλομίας παῖ; μὴ σὺ γ' ἄδικος ἢ θεὸς
 πολλὰς δ' ἐς οἴκας καὶ πόλεις εὐδαιμόνας
 εἰσῆλθε, καὶ ἔηλθεν ἐπ' ὀλέθρῳ τῶν χρωμένων.
 ἐφ' ἣ σὺ μαίνῃ; Κεῖνο κάλλιον, τέκνον,
 ἰσότηα πμᾶν, ἢ Φίλος ἀεὶ Φίλοις,
 πόλεις τε πόλεσι, συμμάχους δὲ συμμάχοις
 σονδαί. Τὸ γὰρ ἴσων νόμιμον ἀνθρώποις ἔφυ
 τῶ πλέονι δ' αἰεὶ πολέμιον καθίσταται
 τῆλασσον, ἐχθρὰς δ' ἡμέρας κατ' ἀρχελαί.
 καὶ γὰρ μέτρ' ἀνθρώποισι καὶ μέρη σταθμῶν,
 ἰσότης ἔταξε, καρδίμῳ δὲ διώρισε
 νυκλὸς τ' ἀφεγγὲς βλέφαρον, ἠλίξ τ' φῶς
 ἴσων βαδίζειν τὸν ἐμιάυσιον κύκλον.
 κἄδέτερον αὐτοῖν φθόνον ἔχει νικώμενον.
 εἴθ' ἄλιος μὲν, νύξ τε δαλέυει βροτοῖς.
 σὺ δ' ἐκ ἀνέξῃ δωμάτων ἔχων ἴσων,
 καὶ τῶ δ' ἀπονείμαι; κατὰ πᾶ' σιν ἡ δίκη;
 τί τὴν τυραννίδ' ἀδικίαν εὐδαιμόνα

τίμας

M E R C U R I U S .

17

τιμῶς ὑπέρφου; καὶ μέγ' ἤγησαι τόδε,
περὶ βλέπεσθαι τίμιον; κενὸν μὲν εἶν.

Hoc est:

Quid pessimam Dearum amplecteris
Ambitionem, ô fili? ne facias: injusta hæc Dea.
Multas in domos & civitates felices
Introgressa & egressa est, cum pernicie utentium,
Cujus cupiditate tu insanis? Illud melius, ô fili,
Æqualitatem colere, quæ amicos semper amicis,
Civitatesque civitatibus, sociosque sociis
Colligat. Æqualitas enim legitima hominibus est:
Ei verò quod plùs est, semper adversatur
Hoc quod minùs est, odii que statim initium fit.
Etenim mensuras hominibus, & partes ponderum,
Æqualitas constituit, & numerum definit,
Noctisque obscurum radium. Solisque lumen,
Æqualem ire annum circulum:
Et neutrum ex ipsiis invidiam habet cum vincitur.
Ergò Sol quidem, noxque servit Mortalibus:
Tu verò nõ sustinebis domuum habens æquas partes,
Et huic distribuere? ubi verò esset justitia?
Quid tyrannidem, quæ per injuriam est opulenta,
Colis nimis? & magnum existimas hoc,
Admirari conspicuum? imò vanissima hæc res est, &c.

*Audistiné Mercuri, quos paroxisimos in animis
hominum, pessimarum Furia pariat. Quidam autem au-
disti, quas turbas det, dederit vé, plurimas in
domos ingressa & egressa cum pernicie utentium
Ambitio? Intellextiné conspicuum esse ac ce-*

B 3

lebrem,

lebrem, rem esse vanissimam; nec vanissimam tantum, sed & Deo invisissimam. Nota est vobis, Auditores, Salvatoris ad Phariseos, à quibus deridebatur, avaros & ambitiosos dicta vox:

Luc. 16. Quod hominibus excelsum est: abominandum coram Deo est. Est profectò, (ex ore Dei audis) abominabile, & ut D. Bernhardus describit: Futile malum Ambitio, secretum virus, pestis occulta, doli artifex, mater hypocrisis, livoris parens, vitiorum origo, tinea sanctitatis, excæatrix cordium, ex remediis morbos creans, ex medicina languorem generans, &c.

Bernhard. in
sermon. qua-
drages.

Hujus igitur venefice repudiato opio, quod morbos, languorem, somnum & somnia non minuit, nec tollit: sed visuà mortiferà multò magis fovet & adauget, Medica Jocasta, quam dixi, audiens consilium, equalitatem cole, & ne ambitionis umbrà fumo vè infectus, conspicuum admireris, ab hac alienus, in perspicuo habita. Quemadmodum vetus illud te monet oraculum.

Adhibuit hanc Medicinam, ut probatam Eteocles olim, à matre, quam modò nominavi, Jocasta, ita jussus. Tu Patris, Tu, Matris fun-
nonis

nonis iussa negligens, te admiraris & suspicis?
 parentes prae te despicias, atque contemnis? eos
 in inferiorem rejectos cupis locum, ut Tu prae
 illis, quàm maximè glorià conspicuus, & illustris
 appareas?

Verùm, ut vim & symptomata morbi exa-
 etiùs pernoscamus, Phœniciam relinquentes, in
 officinam Statuarii revertamur. Huc, huc ani-
 mum nunc advertite Philautia Mercatores,
Parentum Praeceptorumque Contemptores &
Derisores impii. De vobis enim narratur Fa-
 bula.

In hanc igitur, quam dixi, officinam ingref-
 sus, Jovisq; Statuam licitatus Mercurius, cum
 non pluris, quàm unodenario estimari cognosce-
 ret, risum continere haud potuit Furcifer; sic pa-
 tris vilitati (quod facere solent filii improbi &
 degeneres) acerbè insultans.

O os impudens, ò arrogantiam, ò impietate-
 tem insolentem,!

Siccine rides Mercuri, Jovem? Fili, Pa-
 trem? Satorum hominumq; Deumq;? eum, qui
 te genuit? qui te educavit? qui te ad tantos hono-
 res, ut Legatus & Interpres Deorum esses, eve-
 xit?

xit? Utinam verò à Jove in Atlantidem Insu-
lam, ubi somnia videri negant, aut ad Endymio-
nem, in Latmum Cariæ relegatus, aut ut Nar-
cyssus olim amore sui ardens, in florem sui nomi-
nis: ita Tu, in statuam commutatus: aut in ma-
re, ut ab hoc fœdissimo Philaulias nâvo abluere ple-
nius, projectus fuisses: ne tot turbarum & dissi-
diorum, quot, proh dolor, sunt hodie, inter ho-
mines essent. Quo autem aquore, vel quo flumi-
ne ablui potest, ipso Galeno teste $\delta\upsilon\sigma\epsilon\kappa\upsilon\tau\pi\lambda\omicron\upsilon\varsigma$, inelui-
bile, & quavis scabie insanabilius, cui vis etati
tenaciter inherens Malum $\phi\iota\lambda\alpha\upsilon\lambda\iota\alpha$: Hanc, è lacte
materno sugunt pueri, domi mulcent aluntq̄, in-
de in Scholas secum afferunt; quibus vel domesti-
ca negocia obeuntibus, vel prima Literarum ele-
menta addiscentibus, parentum & Magistro-
rum Placita non placent, quoniam ipsi sibi vehe-
menter placent: qui tamen ita sibi placendo, nec
Deo, nec hominibus placent. Non ab Instituto-
ribus & Præceptoribus, quibus ipsi præcipiunt,
se se moneri, nec regi, quos regunt, patiuntur; sta-
tim (sicuti Plinius de quibusdam suffenis conque-
ritur Adolescentulis) statim, inquam, sapiunt,
statim sciunt omnia, neminem verentur, atque
 ipsi

ipsi sibi exempla sunt: probata virtutum exempla
& salutaria Monita, non negligentes solum, sed
irridentes atque deludentes suas ipsi statuas longè
pulchrius, & venustiùs pingere ac comere nõrunt:
quàm nobilissimus ille pictorum, Veneris pinxe-
rat, Apelles. Quarum venustatem Seneca, ve-
ris coloribus depingit, quòd isti nimirum Picto-
res, quicquid est boni moris extinguere, levitate
& politurà corporum; muliebres item mundicias
antecedere; colores meretricios, matronis qui-
dem non induendos, viri sumere, cantandi, sal-
tandiq; obscæna studia effæminati tractare, ca-
pillum frangere, & ad muliebres blanditias vo-
cem extenuare mollicieq; corporis cum mulieri-
bus certare soleant.

Unde Aristophanes, ejusmodi pigmentis or-
natum Juvenem conspicatus: Ecce, inquit, qua-
dratus Mercurius, habens syrma, ventrem, um-
bolicum & barbam. Sentiens illum non esse homi-
nem, sed Statuam, qualis in viis solet poni Mer-
curio: hoc illi dissimilem, quòd effæminatorum
more traheret vestem, quòd deditus esset ven-
tri & libidini, quodq; barbatus esset: cum nihil
horum habeat Mercurius.

Aristophanes hodiè si viveret, etiam imberbes Juvenes, Bacchi Venerisq; deditos voluptatibus videret: spectaret Germanos Mercurii & Veneris Natos Hermaphroditos, ore mulierem; vestitu efferatoq; vultu truculentum Militem referentes:

Ex uno ut spectent Marsque Venusque speclo.

Inveniret alios etiam in eo, Deorum Interpretis Mercurii multum dissimiles, quod non sicut ille, stylo simplici & plano, sensa mentis explicent; sed hujus seculi, in quo divina benignitate Latina Lingua puritas, non absque magno Majorum nostrorum sudore reparata, viget floretq; pertæsi; Accium, Pacuvium, & alios veteris ævi Patres, et ymbis resuscitent; prorsus inauditum, obsoletum, horridum dicendi genus introducentes; ut à Carmenta Evandri matre illud suxisse videantur; qualia sunt: Nuci frangibula, loquitatus, sputatilica, Scrophipa, Spisigradisimus, Legirupa, causificor, pappare, pauxillatim. Item, spurcificus, pro sevus; casnar pro senex; bovinator, pro tergi versator; lurchabundus, pro eo, qui festinanter bibit; nulluta, pro non; obstrigilare, pro obstare; pollucibilis cœna, pro lauta; pollucibiliter

liter opsonare; exanclare vinum, pro exhaurire;
ebruiare, pro ebruium facere; russari, pro scrutari;
porcet, pro prohibet; expuere lacrymas, pro
 lacrymare, & consimilia plurima. Quidam ve-
 rò, quasi in ipsa Barbaria nati simul & educati
 essent, non hisce obscuris contenti; ut parum sa-
 num, monstruosumq; suum prodant Animum, pla-
 nè monstrosa & barbaria in lucem proferunt; non
 quæ ab aliis Gentibus recepta, & Romanâ civita-
 te donata; ut sunt: mastrucâ, carrus, carruca, podi-
ploxenum. Sed multò obscuriora, sordidiora, &
 insolentiora, vel ex tenebricoso illo Heracliti Lu-
 do revocata, aut nescio à quo alio Barbaro & no-
 vo obscuritatis Magistro eructata: vel prohibitu,
 proprioq; motu & authoritate ab ipsis excogita-
 ta, vocabulorum phrasumq; mirabilium ostenta
 & portentamirabilissima: quibus, Declamatio-
 nes nonnulli suas, siue, ut ipsi nominant, Vocife-
 rationes, quas publicè recitandas, subscribendasq;
 Præceptoribus offerunt, ceu stellulis quibusdam in-
 lustrare gestiunt; cuiusmodi sunt: area herbosa,
cogmentata ad orearum lerna languescere, erude-
rare; Vela mea cymba benivolentia vestra Ze-
phyro afflate; Deum oratione continuâ adhinni-

dīo posita respuunt, trita & usitata aspernantur;
 communia & omnibus aperta, pro vitiosis ha-
 bent, venantur abstrusa, laudant insueta, opti-
 ma censent, quæ paucis aut nemini sunt cog-
 nita, &c. Quæ, cum animi conceptus explanare
 debeant, ipsa lumine interpretationis egeant.
 Cogita verò, quàm egregium Deorum Lega-
 tum, & Interpretem, quo de loquimur, egisset
 Mercurius, huic ubi ad animi sensa aperienda,
 alio fuisset opus Interprete. Nam ut E. Riche-
 rius in lib. ad Juventutem in Academia Paris.
 scripto, inquit: Oratio pessima quidem rationis
 & animi Interpretes habebitur, si alio nuncio &
 Interprete, Lexico inquam vel glossemate, in-
 digeat. Lucerna & nuncius animi tui, oratio est:
 quæ si simplex, plana & perspicua fuerit; Mens
 tua & Ratio, tota illustris & splendida erit: Si au-
 tem sermo hiulcus, obscurus, intricatus, exole-
 tus fuerit; intelligentia etiam, omninò tenebro-
 sa censebitur. VIDE ERGÒ, NE LUMEN,
 QUOD IN TE EST, TENEBRÆ FIANTE.

In illam Barbarorum classem, refer similia
 verborum prodigia; *leucha*, *aucha*, *passagium*,
per treugam meam, *mentiris per gulam*: quibus

utuntur gloriosissimi Domini Doctores, Franciscus ille Lilius, nec non cordialissimus Dominus Magister Favellus, & frater Lolhardus, in Frischlini Prisciano vapulante, ad quem Auditores remitto.

Sunt & alii, qui ex prosa, & Pœtica eloquentia, insolens quoddam Orationis genus concinnant: cum hæc, ab illius charactere maximè discrepet, & omninò (quod apud Ciceronem in Dialogo de orat. confirmat Antonius) Pœta quasi alià quadam linguà loquantur: rarò etiam eodem Cicerone autore, habeat in oratione, Pœticum aliquod verbum dignitatem. Alii verò, nec inter Christianum & Paganum Stylum discernunt, & quasi orthodoxà repudiata, in Gentilium jurassent Religionem; eorundem Deos invocant: Itame Dius Fidius: Rogo te per Musas: Si magna Minerva placet: Si rectè litavi Dea Monetæ: Ut uterum ferant verminantem aderit Lucina Dea, ad exteros abiturienti, Phœbum, Lares, viales bonos vovere atque propitios.

Quidam etiam, à Majoribus & Patribus nostris hæud obœsanaris, nec indoctis, & antiquitatis ignaris (quos ego senes de ponte dejicere nolim)

lim) usurpata & haectenus in omnibus Scholis re-
 ceptâ Orthographiâ, temerè recedentes; novam
 comminiscuntur; & aurium licet repugnante ju-
 dicio, κενὸ Φωνίας sive κενὸ Φωνίας pro ἐὺ Φωνίας venantur:
 pro Accipere, libet eis scribere Adcipere; Adces-
 sisse, pro accessisse; Adpetere, pro appetere; Adspi-
 cere, pro aspicere; Ex dixit, pro edixit; Adlectus,
 pro allectus; Innavus, pro ignavus; Inlustris, pro
 illustris. Et quia Veterum imitatione nobiliores
 quidam Critici, in quibusdâ vocibus, suo quodam
 fruente judicio, vocaliũ utuntur permutatione,
 pro I ponentes V, ut Maxumus, pro maximus;
 Aestumat, pro aestimat. Ita Simioli isti, ut foetus si-
 ve pullos suos, aliquatò formosiores & inlustriores
 exsingat & expuliat, p̄miscue ac ferè semper ejus-
 modi lusitant Lusus, scriptitantes Fuamus, p̄fi-
 mus; dilectus rerum, pro delectus; Explaudenda,
 pro explodenda; tantum, pro tantum; olli & elli,
 pro illi; quoi & quoinus, quoinam, pro cui, cujus, &
 cuinam; herè, p̄heri; prævortisse, pro prævertisse;
 polcer, polcra, polcrè, polcerius, pro pulcher, pul-
 chra, &c. vorsus pro versus, volnus pro vulnus,
 vultus pro vultus, stoltus pro stultus. Ostultos!
 Et hujus quidem scriptiois Lipsium, imò &
 ipsum

ipsum Ciceronem, ex aliorum sententia loquentem, aut veteres Leges citantem, Autorem nonnulli ex nostratibus Antiquariis, allegare non dubitant.

Veris autem Lipsianis, qui hisce deliciis non delectantur, magis allubescit scribere & dicere: intellegentes, quàm intelligentes; neglegentes, quàm negligentes; cotidie vel cottidie, quàm quotidie; Optumus, maxumus, quàm optimus, maximus; discidium, quàm dissidium. Quos tamen propterea non reprehendimus: quamvis Aliis hæc duriora videantur. Nituntur illi quidem, suis quibusdam rationibus & conjecturis, quantumlibet, quod ipse non negat Lipsius, incertis & lubricis, in vetustis codicibus, & illiteratorum Lapidarum *κακογραφία* fundatis: abundant illi suo sensu, Nos nostro. Utri autem rectius scribant, adhuc sub Iudice lis est, cui me non immisceo. Itaque *ἔργον* potius, quàm *πᾶρεργα* spectanda esse putant, æquiores & sinceriorum hac in causa Iudices: qui eiusmodi minutias, ut Mathematici, otiosas & redundantes Zifras, rejiciunt: nec *ἀποπροηγμένα* illa, antiquata, & ut Lipsius vocat, ab Ennio usque & Pacuvio quasita, demor-
tua

poribus, aures, animosq^{ue} suos pascunt lepidi; mirificè sibi placent, perfectè & absolutè eruditionis Oratores & Correctores esse se, somniant: statuasq^{ue} suas longè supra Tullianas atque Julianas sive Casarianas collocandas existimant.

At enim, inquiunt, aliud est jam seculum. Quodnam seculum? Criticum puta seculum, in quo Criticorum Simiorum plena sunt omnia.

Quæso verò, mi Adolefcens, & perstatuam te tuam quæso, & ut quidam loqui solent, veneror. Nonne eodem seculo floruere Muretus, Manutius, Hier. Wolfius, Sturmius, Junius, & tuus, qui tamen (mox audies) tuus esse non vult, Lipsius? Ergone hic, vel alius quispiam, quem tibi singulariter imitandum proponis, solus Latinus? Solus Orator fuit? illi non fuerunt? Quale verò & quàm felix seculum, ejusmodi Latina Lingua Correctio, vel Corruptio potiùs seculum ferat, & futurum presagiat, clarissimum illud Belgii Lumen Daniel Heinsius vidit, & statim post obitum Lipsii, gliscere animadvertit, ineptam illam & miseram, Juventutis Belgicæ Lipsium infeliciter emulantis; *κακοζῆδων* hisce verbis redarguens: Cùm liberales, inquit, disciplinæ,

plinae, & earum Candidati, ducem suum Iu-
stum Lipsium, suavissimae quidem, sed inimita-
 bilis, &, ut ipse iudicabat, ne tentandae quidem
 aliis eloquentiae virum, amississent; pleraque
 Iuventus autem miseram æmulatione hominis
 clarissimi abrepta, & jam Præceptore suo desti-
 tuta, cuius scripta adumbrare, quam monenti
 recte credere malebat, quae feliciter exprime-
 re non poterat, stulte tamen sequi optaret; ma-
gnum in discrimen Literaria res venerat. Si quis
 scribere Latine vellet, à Pacuvio usque & Ennio
demortua accerserentur verba, saltitabant perio-
 di, macra & jejuna oratio, omni succo destituta
 & copiâ, punctulis quibusdam & Allusiunculis,
 aut præcisis membris & Interrogatiunculis ab-
 rupta, Nauseam sui & fastidium pariebat. Hi-
 striones esse scenicos dixisses, aut infelix claudi-
 cantium agmen, qui chorago intus rem gerente,
 spectatores cum tibicine oblectant, & dum ma-
 ximo opere subinde exilire conantur, cadunt po-
 tius quam eunt. Si quis locum unum Nonii e-
 mendasset aut Festi, alibi literulam aut syllabam
 restituisset, alibi eiecisset, & hunc ludum nuga-
 rum sine solida cognitione rerum, fortiter gessif-

Heinf. Ora
 in funere I.
 Scaligeri.

set, Trojam expugnasse videbatur. Et hos tamen, si Diis atque hominibus placet, Criticos vocabant, &c.

Audis, qualenam seculum notet Heinsius, ejusmodi sc. in quo res literaria in discrimen venerit. De tali & quidem multo deteriore, praeter alios, praclarus, doctrinam prudentiamque, praestantissimus & acutissimus vir, Dominus Antonius Fabricius, Illustrium Comitum Schwarzenburgensium Vicecancellarius dignissimus, Joan. Sturmii, celebratissimi Academiae Argentinenfis Orator olim, Anagnostes qui fuerat, in epistola quadam, non ita pridem ad quendam Academiae Nostrae Professore[m] data, auguratur. In ea, postquam felicem, hac in parte, Academiae Nostrae Statum, quem ex Nostrorum ad semissis Orationibus cognoverat, honorifice commendavit; quod nimirum in ea Romana Floquentia adhuc floreat, quam, ab omnibus ferè Germaniae Academiis nunc exulantem, apud celeberrimam (ipsius verba sunt) Tubingam, adhuc excoli atque conservari animadvertat; tandem haec verba subjungit: Ego, inquit, multos jam annos à Scholis, ut nosti, absens miror plerosque doctos

J. 79.
2 48.

doctos probare hodiè nescio quem Laconismum Lipsianum ferè rhythmicum & à Veterum consuetudine abhorrentem. Quæ Orationis mutatio, vereor, ne voluntatum quoque atque temporum inclinationem sensim ingruentem portendat.

Quod paulò antè Heinsius, idem ferè hoc in loco aliis, at brevioribus verbis dicit & sentit Fabricius. Hic enim, de instanti ac futuro: Ille, de iam presenti loquitur seculo. Hic, de voluntatum atque temporum inclinatione sensim ingruente. Ille, de rei literariae, parùm felici eventu, in Juventute Belgica comprobato discrimine. Hic, Simiolis Lipsianis, Laconismos rhythmos, à Veterum consuetudine abhorrentes: Ille, saltitantes periodos, macram & jejunam orationem, omni succo & copià destitutam, punctulis quibusdam, Allusiunculis, præcisissq; membris & interrogatiunculis abruptam, objicit & exprobrat. Ejusmodi verò breves, & curtæ sententiæ, non justis periodis factæ; sed membris & incisus crebrò interruptæ: non salienti, & aquabiliter fluenti rivulo, nedum torrenti, currenti ve flumini, sed undis limo, saxis & lapidibus multis, obsessis simili-

les: non modò ut Heinsius jam dixit, *Nauseam* sui & fastidium pariunt: sed & styli cursum inhibent, *Orationis majestatem deprimunt atque obscuritatem generant, secundum illud Poëta:*

— dum brevis esse laboro,

Obscurus fio.

Obscuritas autem, ut ait Cicero, in Oratione civili vitium est vel maximum.

In hos Lipsiomimos, saltitantes periodos, Laconismosq; rythmicos affectantes, jocularis ille rythmus videtur competere: quo levitas vestitus in Militibus, ~~Militumve Simiis~~, curtis in tunicis festivè saltitantibus, carpi solet.

In curta tunica saltat Miles, velut pica.

Ein Lauske necht allzu kurz verhasen

Hupfft als ein Gister in der Awen.

Ejusmodi verò male pexum, curtum, salebrosum & obscurum dictionis genus, E. Richerius, in citato libro, hisce verbis perstringit: Mirari satis non possum, hominum quorundam furorem & dementiam; qui rebus ipsis, quas oratione deberent illuminare, tenebras densissimas offundunt: atque dicendi quoddam genus, asperum, horridum, impexum, Græcis & Latinis Veteribus intentatum; omni elegantia, nitori,
& per-

& perspicuitati præponunt: & velut feræ, quæ
ne capiantur, cubilia confundunt; sic de indu-
stria, inquit Seneca, compositionem disturbant
suam, si quid placidius effluxit, aspernantur; no-
 lunt sine salebra esse: contextum virilem putant
 & fortem, si inæqualitate, aut asperitate suâ, au-
 res vehementius percutiat; quibus, tanquam
 Salustio, obscura breuitas pro cultu est. Quod si
 Gnatonis & Philoxeni animo id tentant, volunt-
 que istâ *κακηζηλία*, & putidâ obscuritate, quasi mu-
 co & sputis foedissimis, luculentissima Art. inge-
 nuarum fercula contaminare; quò deinceps soli
 gulæ indulgeant, & docti habeantur: malè qui-
 dem suo, & Reipub. nomini consulunt; dum
 eruditionis suæ gloriam, cum aliis communica-
 re dedignantur: ac istam obscuritatem, & agre-
 stem dicendi formam, ab omnibus Antiquis da-
 mnatam, in chorum scientiarum intrudere, &
 in Rhetoricæ locum nituntur cooptare. An igno-
 rant, tenebras, frigora, & obscuritatem Lycop-
 hronis, pridem fuisse ab Aristotele condemna-
 ta? Quàm est hominis indignum; tam vesperti-
 lionum & noctuarum proprium: omnia Lexica,
 & glossaria, eo consilio noctu & interdiu repli-
 care,

care, vertere, invertere; ne sine glossarii opera intelligamur.

Idem quoque non minus graviter vehementerq^{ue} ac Heinsius & Fabricius, quos dixi, in Lipsianos illos invehitur, eos ridiculos Simias nominans, quòd se viri eruditissimi justos imitatores, & Lipsii germanos putent; dum ex doctissimis ejusdem Scriptis, Faunorumq^{ue} & Saliorum carminibus, vel inconcinnis & agrestibus matris Evandri vocibus, aliquid ἀρχαϊκῶς baubantur. Legant plura qui cupiunt, in hanc scripta sententiam, in supra allegato loco.

Quæ non in eum à me commemorantur finem, ut Lipsianas statuas; veros nempe ac germanos Lipsianos, Lipsii præstantem eruditionem redolentes, corrigam: quibus cum meam, ut minus comptam & perpolitam, simpliciq^{ue} Veritatis cultu gaudentem, ἐδ' ὄναρ, ne in somno quidem comparo: Novi enim ego infantiam meam, dicendiq^{ue} inopiam, aut si non nossem, ἀνερόσχοποι isti, & Caduceatores Cilleniani (quos crepitans & bracteata juvat eloquentia, & Lipsianis quibusdam abstrusioribus voculis flosculisq^{ue} superbiens oblectat Oratio) hoc mihi dicerent. Hos ut præveniam,

niam, ipse fateor lubens. Hoc enim scio, quod nihil scio. Non in eum, inquam, finem, ne forsitan erretis, ista à me commemorantur, non; Sed ut falsam isthanc opinionem, si queam, ex animis Simiarum Lipsii eximam & evellam. Quos ipse carpens Lipsius, videt, ita ad Villarium amicum suum scribens: Quàm multi in Juventute nos æmulantur! & rideo quia à me procùl illi, aut procùl certè ego à Recto. Nihil magis brevitate amo, sed si simplex; nihil magis brevitate odi, sed si affectata. Quid etiam, si fucata? nam verba emendicant, & abstrusiores aliquot phrasas: ad quæ, non dicam, risum non teneo, vixiram. Comprimam publico aliquo Scripto, & de Imitatione tota, quid mihi videatur, monebo. Nam ego ut mutem, serum est, arbutula hæc, sive recta, sive aliter, crevit & induruit in hanc formam. Ciceronem amo, olim etiam imitatus sum: alius mihi sensus nunc viro. Asianæ dapes non ad meum gustum, Atticæ magis. Hactenus Lipsius.

Huic, præteritis aliis, Keckermanni subjicio judicium: Pests est Eloquentiæ, inquit, si Juventus prima, statim se conferat ad lectionem Senecæ, Lipsii, Politiani.

E

Hæc

Hæc, quemadmodum à clarissimo & Latinarum Literarum peritissimo viro, non eò dicuntur; ita nec à me, sicut & aliorum summorum virorum auctoritates, quos paulò antè nominavi, allegantur: quòd vel Lipsii, optimè de tota politiore literatura meriti, vel aliorum etiam stylum, summamq; eruditionem atque eloquentiam, quam admiror & veneror, deprimam: absit, ut hoc faciam: sed ut unà cum ipso Lipsio, Heinsio, Fabricio, fastum quorùdam Simiorum & insolentiam retundam: & ut statuas suas, verborum sordentium proluviione, squaloreq; fedatas abluant: atque purum, castum, simplex, perspicuum, planumq; dicendi sequantur genus, excitem atque inflammem.

Quod ut faciam, officii mei me ratio, & Collegarum admonitio compellit: Admonet quoque Rhetoricæ Professore Fabius, ut non tantum indicet benè dicta, sed & malè dicta. Quemadmodum Ismenias, insignis ille Tibicen, Discipulis suis, non minus ostendebat malè canentes, ac scitè canentes, dicens; ad hunc modum canere oportet, ad hunc nequaquam. Et sanè admonitio hæc nostra, apud Auditores nostros, non
 omni-

omninò frustra fuit. Veniunt enim jam, & errorem suum agnoscunt, & quòd ad alium eos modum canere docuerim, grato animo agnoscunt, atque repudiatis verrucosis Evandri matris statuis, elegantiores Ciceronis modò amplexantur. Aversantur jam barbaras illas, & obscuras voces & orationes: illud Strebai attendentes: Cœleste quiddam ac divinum est oratio benè constituta, quam spurcicia & verborum proluvione contaminare nefarium duco. *Idem*: Si summa virtus orationis est claritas, ut est, summum profectò vitium erit οκολιζεν: & si Oratoris officium est docere & explicare controversiam, huic rei contraria sunt verba inusitata & inaudita: & si denique quantò quis eloquentior, tantò dilucidior est: certè quantò quis indoctior, tantò obscurior.

Aversantur iidem, quos dixi, vera Eloquentia cultores, λογομαιδάδες illos, qui neglecto animo, linguam tantùm excolunt nihilq; de rerum tractatione solliciti, inanes verborum crepitus crepant. In quos Crassus apud Ciceronem invehitur: nihil tam furiosum esse affirmans, quàm verborum vel optimorum sonitum ina-

nem, nullâ vel sapientiâ vel scientiâ subjectâ. Sibi solis, si ita placet, placeant, verborum opifices isti Suffenuli; Doctis minimè placent: qui, auctore Keckermanno, malunt audire res quàm verba, ut ut ornatissima, atque idcirco oderunt eos, in quorum concionibus & orationibus, est mare verborum splendorum & ornatorum, rerum autem vix gutta quedam. Id quod Anaximeni Lampfaceno olim Theocritus objecerat. Itaque inter alios de Auditorum qualitate, Eloquentiæ Candidatis hunc prescribit Canonem Keckermannus: Ad doctum Auditorem aliter Oratio informanda fuerit, quàm ad indoctum; cum docti realia tantum spectent, & ægerrimè ferant, si superflua dicantur: indocti verò verbis magis capiuntur, neque ita discernunt inter ea, quæ ad rem; & inter ea, quæ extra rem dicuntur. Quocum facit Ludovicus Vives. ita scribens: Equidem sordes & vitia sermonis nemo vel amare debet, vel probare, unde maxima pars cladis tum Artium, tum judiciorum est accepta. Sed certi si detur optio, quis non malit multò immundum, spurcumque magnis de rebus, atque

ex-

Keckerm.
Rhet. pa-
gin. 549.

Lib. 4. de
causis cor-
rupt. Art.

excellentibus sermonem, quàm de nugis comptissimum atque ornatissimum. *Item Erasmus in Apophtheg.* Oratio splendida, sed enervis, est egregia statua, sed exangvis.

Veros igitur Correctores & Criticos, si sequerentur Somniatores quidam suffeni; & statuas suas, cum in Linguis, tum moribus formarent elegantius, & in studio pietatis & Eloquentiæ proficerent felicius, neque Scholarum Rectoribus & Institutoribus, tot labores, totq; molestias crearent: in quos, tritum illud ab Ethnicis haud pie usurpatum, dicitur adagium: Iupiter quem perditum vult, Pædagogum facit.

Parùm autem esset, si in hisce ætatis terminis coërceretur, in ludis trivialibus obtereretur: intrat Academiæ hæc Furia plurimas, ut supra ex Tragico audivimus, domos & civitates intrat: & oratione, si non portentosa, fucata tamen, & moribus novis monstrisq; vestita, insolenter intrat: in forum erumpit & Curias, sacraq; Antistitum infestat vastatq; synedria: bellis, seditionibus tumultibusq; miscet & perturbat omnia: ipsum denique cælum, è quo turpissimè deturbata est olim, repetens; impio ausu supra

Deum sese attollere, & *φωλιόματα* sua, divinis
 præferre oraculis audet.

Ergò si sapitis Adolescentes, ejusmodi Con-
 temptorum & Irrisorum Criticorum verba &
 facta, si ve jam in Scholis, si ve olim in Curiis &
 Ecclesiis, in eos incideritis, nolite emulari. Risit
 sic olim Patrem Noämum impius Chamus, sed
 magno suo cum malor isit; pro benedictione, male-
 dictionem reportans.

Quem imitatus Absolon, non modò patrem,
 & patrem Regem risit atque contempsit: sed sce-
 leri scelus addens scelus; hostili animo est etiam
 persecutus. Is verò quàm miserabili interierit
 interitu, S. Literæ attestantur. Non minùs acer-
 bum & tragicum experti sunt Exitum, duo &
 quadraginta pueri, Eliseum illudentes, à duo-
 bus ursis, quos Divina ultio è Sylvis exci-
 verat, miserrimè trucidati, discerpti atque di-
 laniati.

Hæc lixiviva, quem non terrent, terrebit
 olim aliquantò acerbius lixivium, atrâ sulphu-
 rea q̄ Gehennæ pice temperatum: quod non Stoi-
corum, quem dixi, porticus: sed inferorum por-
ta eructabunt. Quale est, quod Dominus &
 Sab-

Salvator noster Judæis, Judæorumq; Simiis & Sociis impænitentibus (qui cum incredibili contemptu, nefariam & inusitatam crudelitatem conjungentes, omnibus verborum contumeliis, virulentisq; Sarcasmiss, in ejus cruciatus & calamitates insultârunt) nostram sic ambitionem, per passionem ac mortem suam expiando, & crucem suam bajulando ad filias Hierusalem converso sermone prædixit, præ horrore horrendæ subeundæ miseriæ optaturis, ut à montibus & collibus obruantur.

Etiamnum rides Cillenie? rides? in eadem Tupice, nisi Sanorum audiens consilia, resipueris, harebis, æternumq; harebis & ardebis: ridere noli, ne risus in fletum ploratumq; desinat. Non cogitas vulgare illud?

Væ tibi ridenti, nam mox post gaudia flebis: pro honore, quem immoderatè concupiscis, opprobrium & confusionem recepturus.

Sed malè audis, auribus sale sapientiæ, à Statuario non satis expurgatis: audire mavis grata & jucunda, quàm vera & salutaria. Ad illum igitur lavatum, & bona nova percontatum abi.

Quis

Quin & tempus nos monet, ut pedem moveamus: adstat etiam Statuarius, non aures invitas Stoicis paradoxis, tristibusq; ac molestis de aeterno supplicio Legis concionibus pascendas, sed ventri jam, qui caret auribus, satisfaciendum, atque prandendum esse vociferans; cui intestina jam crepant, animus non in statuis, sed in patinis est: citius quàm Somniatores, quos dixi, ante auroram hodiè surgens, statuas suas cum lumine visit, finxit pinxitq;. Tempus igitur, inquam, nos monet, ut tandem è Stoà, in officinam revertamur, & quanàm statuarum pretiosior sit, parentumné, an Filii, sciscitemur. Id Mercurio scire cupienti, Statuarius optimè de Arte sua judicare valens, aperiet, & auriculas Asini, inanem gloriam aucupantis, grato faustoq; responso, & speratà venditione exhilarabit.

Mercurius igitur, cum jam satis irrisset patrem, suamq; Statuam paterna preferendam judicaret: longè diversum est ab Artifice expertus judicium. Licitanti ergò suam, si duo illa, inquit Venditor, eo, quo jam indicavi, pretio emeris; hoc Mercuriale addidamenti vice dabitur.

Scitum

Scitum profectò, bone Statuarie, ac si ex composito egisses, Mercurio responsum dedisti, dignumq; omninò, probè qui calles artem, patellà operculum fecisti. At ineptum agis Venditorem, dum commodi tui (quod nostri cum primis spectant homines) nullam prorsus habes rationem. Nam si duobus saltem denariis aestimàsses, annon istud tibi sceneràsses? Certè ut fuit elatus, tot tibi aureos dedisset, modò Patri se prelatum gloriari potuisset. Certè nimium tu facilis, tuarumq; rerum prodigus, non laudo: pransum modò domum ubi redieris, uxor quid dicet? irato te vultu territabit: stultam venditionem exprobrabit: prandium denegabit: prandii loco, quòd Mercurii colorato, Et ad fallendum còposito sermone, induci te passus sis, benè longam, sed acerbam instituet concionem. Lixivium in promptu erit, nullus dubita. Rem probè curàsti, sc.

Abi ergò citò Et suspende te, aut cautiùs mercaturam exercere disce, ne ab irata vapules, περί τ' αἰσχρῶν ἀλγέα πάσης. Fortè te, παράδοξον illud Stoicum fefellit. Multum si velis lucrari, stude perdere. At perdendo nemo dives evasit unquam.

Tu verò Emptor, Mercatorum *κέρε*, cum
 tua Statua ubi stas? quid Tu Jovi, quid? quid
 superba *σαυαγ*, Junoni respondebis, quòd Cadu-
 ceum tuum, supra fratris & mariti sui, supra Re-
 gis patris, ipsiusq; Jovis sceptrum erigendum stoli-
 dus somnia veris? è Divorum Te Consilio exclu-
 sum, in extremas terras relegabunt: ne unquam
 orientem aut occidentem Solem vel Lunã videas,
 nec vigilans, uti soles, somnies; à tuo morbo tan-
 dem liber & securus. Quod si forsàn apud Sta-
 tuarium, ob auspiciatam emptionem sc. receptum
 quæres; nec ibi tutus latebis, non Diis tantum-
 modo, sed & hominibus invisus. E quibus alii
 mendacia, fraudes & dolos tibi exprobrabunt
 tuos; te cadis alii, alii verò te furti & sacrilegii an-
 cusabunt: objicient, quòd Argum tibi & cantu de-
 linitum, profundoq; somno consopitum sceleratè
 trucidaveris, quòd Apollini boves & pharétram
 per furtum rapueris, Furem, Nebulonem atque
 homicidam salutabunt. Non vides Cæce, non vi-
 des? à tergo quæ sequitur, alter à manu furcillam,
 alter à præustum & radiantem stipitem quæ ge-
 stat, Statuarii conjugem? furcillabit illa te, nisi
 pedibus salutem quæsieris; & Mercurialem sta-
 tuam

tuam oppidò pulsabit atque perpolabit: quò sic perpolita & excussa, aliquantò cariùs vendi queat.

Miror autem tantum te virum, tantum errorem errare potuisse! Deorum Nuncius, Orator, Interpres, Consiliariorum intimus, Somniorum Director & Præses, nil nisi prudentia, nil nisi sapientia es! Caduceator porro Cillenius, *ἡγεμόνας*, Dux, Propileus, Epimelius, Promachus, Mercatorum *κύριος*, imò terrestris quidam Deus indigitaris: tum ob triplices animi vires, vel (ut prodigiosa tua quadam Soboles loquitur) bifrontem sive trifrontem prudentiam & sapientiam tricipitem vel tricapitem, *τρεκέφαλος* diceris! Ubinam iudicium? ubi cerebrum? in calcæne, an incapite? Cui verò sando unquam auditum tam nefandum & *ἀτοπὸν παράδοξον*? *τρεκέφαλον* celebrari, & triplex quasi caput habere, at cerebro carere? Num nam insipiens es, an insapiens? quid enim videtur? Sed hoc Criticum (insipiens) magis pro stomacho tuo, illud nimis usitatum, communemq; sapit formam.

Multorum ore tritum circumfertur Diæterium, pueris & stultis mercatum abeuntibus, Mercatores multum lucrari solere. Itaque tales

carè nimium mercando, aliorum sese ludibrio exponunt. Tu verò, mercem gratis accipiendo, turpissimè te dedisti hodiè. Debuisses profectò si sapuisses, tui honoris salvandi causà, subridendo tuapte sponte aliquid superaddere, & admirabundus, tam nobile ac conspicuum opus laudando, venditorem prævertere: non subducendo te, ambitionis nævum proderè.

O parum prudens, nimiumq; infelix Mercuri! Forsitan, ut Hercules frater (quem Jupiter pater te fidiſſimo, fœdiſſimo inquam administro, ut supra memini, ex Alcumena genuit) quarta es Luna natus? aut infausto sydere nundinatum profectus? aut quod mali ominis loco putant, in fatali isto itinere, in leporem lepus incidisti? aut negotiorum præpeditus multitudine, vel quia ipse Mercatorum Deus ab hominibus honoraris, Jovem non invocasti? Id quod præcipuam ego infelicitatis, tamq; inauspicatæ Nundinationis causam fuisse arbitror. Qui vel sine Deo Mercator mercari, quemadmodum Dux ille à Deos Agamemnon pugnare nôsti. Verùm enim verò in posterum inter homines Mercator esse si cupis, cautius mercari discè. Quin & in
per-

peruersi hujus Mundi emporio (quod alioquin ingenio tuo minimè repugnat). Politicum agens, cum lupis lupus ulula; aut si hoc non potes, in cælum tuum, unde venisti, otius reuola.

Interim si non remedio, attamen solatio erit, erroris & fortune Te tua socios habuisse quàm plurimos, Somniatores & Nepotes tuos; qui abluendi à nobis forent purius: aſt lixiuium jam tepet. Verùm ne ſcientia, doctrina, aliarumq; virtutum ſuarum admiratione atque jactatione, plus nimio efferantur, & intumescant: hoc oleo Tulliano uti queunt: Deforme est de ſe prædicare, falſa præſertim, & cum audientium irriſione, imitari militem glorioſum; aut jocoſæ Lyrici lyra, fama ſitientes auriculas dedere:

Patturiunt montes, nafcetur ridiculus mus.

Et alterius cujuſdam:

Plerunque nihili eſt, qui ſe magni æſtimat.

Aut fragrantiffimum illud in Paleſtina natum Balsamum adhibere: Ne glories in contumelia Patris tui, non enim eſt tibi gloria, ſed confuſio. Gloria enim hominis ex honore Patris fui,

& dedecus filii, Pater sine honore: *Aut emplastrum illud Regium, mungoso mucosoq; naso feliciter applicare; sicq; superbos & excelsos oculos palpebrasq; in alta surrectas, non nihil deprimere*: Oculum, qui Patrem subsannat, & matris mandata contemnit, corvi juxta flumen effodient, & vorabunt aquilæ. *Et per vi-*
 overb. 30. *ces etiam illud*: Abominatio Domini est omnis illufor.

Quò verò Mercurius tam citò avolavit? nùm evanuit? evanuit, aliisq; suis in cælum elevatus, sub radiis Solis se nunc abscondit, ibi latitat, donec ira Junonis deferbeat; atque Jovi Apollinis intercessione precibusq; placetur. Quem, si adesset, rogarem, ut ex superabundanti, in Nepotum suorum gratiam, Icari volatum, & Phaëtontis casum, qui stolidâ ambitione compulsus, Solis currum & equos aurigandos infeliciter susceperat, nobis animi gratiâ narraret. Sed nihil jam proficeres. Nam soporiferâ tuâ virgâ tacti, quæ lumina, nescio quo somno, demulcet, neque historias audire, neque jucunda sua nobis somnia narrare: sed nec cælum nunc tueri, & ad sidera vultus attollere queunt,
nec,

*nec, quomodo Tu ab Apolline absconditus ser-
veris, scire admodum laborant: Cùm in Sole, hoc
Mense Martio ambulare, agris non sit tutum:
Nam*

————— Corporibus Sol

Martius impuris noxius esse solet.

*Et ut isterras, ita & aridas Juvenum fau-
ces magis exiccat: vigilantium quoque exagitati
somnia, somnum hac nocte non viderunt. No-
tum est illud Poëta:*

Attenuant Juvenum vigilatæ corpora noctes.

*Sileniani sive Cilleniani nostrates Critici
pro attenuant, scribunt adtenuant: quando au-
tem sitis eos jam vexat, versiculum hunc corri-
gunt, pro adtenuant, legunt:*

Exiccant Juvenum vigilatæ corpora noctes.

*Ubi verò Iurchabundis, dies noctesq; per-
græcantibus, atque pollucibilter opsonitanti-
bus, craterasque exanclantibus, vinum non in
capite solum & cerebro: sed in manibus, pedi-
bus, calcibus caligisque sentitur, iterum cor-
rigunt:*

Ebriulant Juvenum vigilatæ corpora noctes.

*Sic vino somnoq; sepulti, in mollibus sterten-
tes plumis circa Nonam aut Decimam anteme-
ridia-*

Fit hoc lo-
Allusio ad
verba Cri-
corum, q
suprà lega-
tur, pag.
17. & 18.

*ridianam, vel, (ut ex ipsorum loquar ore) ad Me-
didiam quando exvigilare, & in lecto Luce medi-
didianâ jam inlustrato, (ceu Silenus in antro he-
sterno Baccho inflatus) philosophari, eorumque
mentes ad coelestia tecta sufflari, Deum conti-
nuâ oratione ad hinnire, gemitibus gravioribus
adhalarè occipiunt, rursus corrigunt:*

Inlustrant Juvenum vigilatæ pectora noctes.

*Exin Criticâ suâ scientiâ, & bifronti pru-
dentiâ, sapientiaque tricapite ebrii & inflati, de-
nuò corrigunt: Infuscant, vel, quod ipsorum pa-
lato sapit melius:*

Inflatuant Juvenum vigilatæ pectora noctes.

*O ^{xpiou} stoltam ^{xpiou}! Ego (ut liceat mihi sum-
ptis ipsorum armis ^{ve} ^{li} ^{ce} ^u ^{pe} ^{os} ^{ve} ^{lu} ^{re}) non titivili-
tio eampse empfitem. Itâne inanem acceptila-
tis gloriam?*

*Ablegemus verò cum sua ^{xpiou} in Pistrinum,
hactam sordida animalia, vel à Scholis relegata,
ad Cimmericas paludes amendemus, ut ibi squa-
lescant sordescantq̄, quàm diu velint. Itâne, ut
Sale Romano eos defricem,*

Infatuant Juvenum vigilatæ pectora noctes?

*At satis jam diu vigilârunt vigilantissimi
Adulescentuli, quos à speculandis syderibus, dul-*

cis,

eis, ut dixi sopor nūc revocat. Cælum igitur, ne ad
 hujus limen velocissimis animi motulis obrepente
 somno ligatis (Criticorum verba sunt) omni su-
 dore corruant, relinquunt. Qui cum integram
 noctem vigilando famem obsonarint, & verò la-
 trante stomacho minùs benè dormiatur: ut ven-
 trem pane & asâ bubulâ stabiliant, & arida
 guttura Lyæo proluant: de auratas oves, aquilas,
 paterasq; esuriunt sitiuntq;: Spheras quoque &
 epicyclos materiatis & visibiles amplexari: at-
 que Homericorum Deorum potiùs Consilio (in
 quod à Jove vocatos aureis sese pateris ibidem in-
 vitasse scribit Poëta) quàm Philosophorum &
 Poëtarum epulis interesse malunt: aut Dearum
 suarum imaginibus oculos pascere. Quemadmo-
 dum stolidus ille Juvenis gloriabatur, malle se
 cum mulieribus esse, quàm cum Philosophis ver-
 sari. Impuram istius vocem Pythagoras cum
 audiret, ejusmodi strigili sive pectine repexit ho-
 minem, ut probè depexum, pulchriusq; exorna-
 tum ad suas in Gynecæum remitteret, inquiring:
Et fies libentiùs in cœno, quàm in pura aqua
 versantur.

Sed hisce impuris & Somnolentis, jam jamq;

G

cubi-

*cubitum ituris, ne illorum somnia, in ipso statim
limine interrumpamus, nunc dormire jussis; ad
honestiores & vigilantiores ingenuarum Arti-
um Mercatores, quos propter praesens est Actus
institutus, nos accingamus.*

Cætera omittuntur.

Clarissimi & Consultissimi Viri,

DN. ANTONII FABRICII EPISTO-

S. p. 26. **LA, CUIUS IN HAC PRIMA ORA-**
*tionem fit mentio, ad quendam Tubingensis
Academiae Professore.*

Scripta.

L*iteras tuas, &c. unâ cum Tractatu nuper à te edito accepi,
& multò maxima ex parte legi: quæ Orationes mihi val-
de probantur: tum propter res ipsas: tum præcipuè ob Ra-
manam eloquentiam: quam ab omnibus ferè Germania Acade-
miis nunc exulantem, apud celeberrimam Tubingam te adhuc
excolere atque conservare animadverto. Ego multos jam annos
à Scholis, ut nosti, absens miror plerosque doctos probare hodie
nescio quem Laconismum Lipsianum ferè rhythmicum: & à Vete-
rum consuetudine abhorrentem: quæ orationis mutatio ve-
reor, ne voluntatum quoque atque temporum inclina-
tionem sensim ingruentem por-
tendat, &c.*



CASPA-

CASPARI BVCHERI,

Altera

ORATIO:

IN QUA

AD ANTIQVARIORVM,

SIVE PSEUDOCRITICORVM

Objectiones responde-

tur.



*MAGNIFICE DOMI-
ne Rector: Dignissime Domine
Cancellarie: Viri Reverendi, No-
biles, Amplissimi, &c.*

*CUM superiore Baccalaureatus Actu,
Nobili, Clarissimo & excellentissimo Viro, Dr.
D. Michaële Zieglero, Collegâ nostro honorando,
publicis negociis distento; in consuetis tali Festo So-
lennibus peragendis, & quadraginta tribus nu-
mero Candidatis, Honoribus tum conferendis;
ejus vicem subirem: παροικουῆς loco, fabulam Æso-
picam, de Mercatorum Deo Mercurio, & Sta-
tuario; in qua, Mercatores cum Mercatrice*

Φιλανθῶς negotiantes, haud obscure perstringuntur;
 denarrandam, enodandamq; suscepi. Nunc ve-
 rò, quoniam eodem causâ in valetudinis absente,
 in creandis ejusdem Laureæ Trīginta Candida-
 tis, ordo me tangens, idem à me officii requirit;
 eandem materiam pertexendam putavi: cū
 præsens Nundinarum Francofurtensium tem-
 pus, tūm Apostoli vaticinium, ipso eventu ho-
 diè, proh dolor, confirmatum, hoc me commo-
 neant: in postremo hujus Mundi emporio, qui
 ejusmodi Mercatores & Mercatrices, admo-
 dum frequentes futuras, in Spiritu præviderat.
 Quarum nobis hodiè ob oculos versantium, in
 omnibus aulis, urbibus, oppidis, vicis, viculo-
 rum angulis, tam Rusticorum casis & tuguriis,
 quàm Regum & Magnatum turribus & domi-
 bus, merces suas exponentium; Catalogum benè
 Timoth. 3. longum, ad Timotheum recensens: Hoc autem
 scito, inquit, quòd in novissimis diebus, insta-
 bunt tempora periculosa, & erunt homines
 Φιλανθοὶ seipso amantes, cupidi, elati, superbi,
 blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati,
 scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores,
 incontinentes, immites, sine benignitate, prodi-
 tores,

tores, protervi, tumidi, cæci, & voluptatum amatores magis quàm Dei, habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. Et hos devita.

Hos Mercatores & Mercatrices sive Meretrices, in primis verò cæterarum omnium Reginam Phaulian, cui & Apostolus primum in ordine assignat locum; ab Æsopo in jam dicto Apologo, sat scitè notari, vi visq; coloribus depingi; nec in Ecclesia tantùm & Repub. sed & in Scholis sæpè regnare, proximè animadvertistis. Hæc, inter alias suas merces, Emptoribus suis fumos venditat, quibus delusi grandiora quaque vident, & majora in seipsis, quàm reverà sunt, vident: atque vigilantì corpore, de vana, ventosaq; sua scientià, nominis fama, ficto rerum dominio, prodigiosaq; potentia, mira concipiunt insomnia.

Qualia cum proximè nobis, ab ejusmodi Somniatoribus exponi cuperemus; ipsi Mercurii virgà soporiferà tacti, somnoq; præventi, recitare nobis haud poterant.

Sed ne citiùs ac volunt, eos è somno excitemus, aliquandiu quiescere somnoq; indulgere pa-

tiemur; & cum his, quasi factis induciis, ad quas-
 dam Antiquariorum nunc Objectiones responde-
 bimus. Quos, cum lixivio siphoneque Æsopico
 tum persperferimus: nunc eorundem capillos,
 Juliano, Tullianove liquore vel sapone, non
 quidem Arabicis, sed Romanis odoramentis con-
 dito; inungendos, rutilandosq; curabimus. Hunc,
 qui non superciliosè speruens ritè adhibuerit; Illi,
 Pacuvianis setis aliquantò pulchriores atq; ube-
 riores, flavo calore renidentes; ipsoq; dignos Apol-
 line crines promittimus. Concionem Manific.
 Reverend. Nobilem omnibusq; modis ornatissi-
 mam, submissè obnixèq; oro rogoq;: ut responden-
 di isthanc sustinenti provinciam, quam mihi,
 partim Religiosa mutui officii necessitas imponit;
 partim ab Antiquariis emissa, monstrosa & ob-
 latratrices Simiæ repositæ & extorquent: bene-
 volentia sua aurà aspirare: & velinistarum gra-
 tiam, uti superiorem, ita hanc quoque Oratio-
 nem, eodem favore prosequi dignentur. Criti-
 cos quidem Sisennianos (aliàs cascà suà voce Spu-
 taliticos vocatos) quibus non nisi abstrusa, inusi-
 tata, vetera-nova placent, haud moror: Roma-
 næ Eloquentiæ Candidatos, & Oratores, quos

non adeò raros præſentes hîc contuemini, vereor. Illis enim ſordidatis & ſordidis, vel ipſe Cicero ſordet, cuius ſpretâ munditiâ ſplendoreq; ſua ſuorumq; ſputa, ſordesq; venerantur. His verò, quamvis parvam ſplendidâ ornataq; Oratione, minus ſatisfecero: eritar tamen ſedulò, ut huius elegantia ac nitore qua defuerint, veritatis candor ſuppleat, atque compenſet. Quibus etiam, multò gratiorem rerum tractationem, quam verborum ornatum fore confido. Illos porrò nauſeabundos, ſi non verba ^{expreſſa}, propria, pura, perſpicua, vi ſuâ tenuerint; nec germano gratoq; ſapore ſonòve affecerint; ſed nec dicentis candor & veritas flexerint: Statutum fortâſis Academicum comprimet, atque compeſcet. Quod Omnes Profefſores, ad antiquatâ & ſordidâ Latinitatis ineptam emulationem, ubique extirpandam, exterminandamque neceſſariò obſtringit.

Quomodo verò, aut quibus armis induti, pertinaciter oblatrantes iidem nobis occurrunt? Occurrunt ſanè; occurrunt Pacuvianis, Nævianis, Mævianisve nævis ſordibusq; fœdati, deformes ac miſelli; nec minus audaculi & quodâmodo

54 Ad Antiquariorum Objectiones
modo impudentes: quippe qui Nervos, quos dixi,
Antiquitatis pallio tegere minimè verentur.
Non artis esse, inquiunt, e loqui, quæ omnes in-
telligant; sed veneranda Vetustatis vestigiis insi-
stendum esse prætendunt; Ciceronem quoque &
Quintilianum insolenter jaçtitant; quod is ver-
ba à vetustate repetita, non solum magnos asser-
tores habere; sed & Orationi majestatem quan-
dam afferre, confirmet.

Quintil.
lib. i. c. 12.

Hic vero, ne Divisionis Elencho ab istis lu-
damur, attendamus necesse est; quæ verbis mo-
dò commemoratis, idem Auctor ibidem subjun-
git: Sed opus est modo, inquit, ut neque crebra
sint hæc, nec manifesta, quia nihil est odiosius
Affectatione: nec utique ab ultimis etiam obli-
teratis repetita temporibus, qualia sunt toppe-
& antigerio, & enanclare. Hisce similia sunt:
ebriulare, opulescere, impetrassere, pauper-
tare; latibulare, prolatere; ocepso, prooccepero,
& sexcenta alia, quorum sunt quædam in proxi-
ma oratione exposita. De quibus citato loco
Quintilianus: Non est utendum, inquit, verbis
iis, quibus jam consuetudo nostra non utitur: nisi
ornandi causâ & parcè. Item: Oratio verò, cujus
sum-

summa virtus est perspicuitas, quàm sit vitiosa, si egeat Interprete. *Idem*: Consuetudo verò certissima loquendi Magistra: utendumque planè sermone: ut nummo, cui publica forma est. *Principis scilicet, non privatorum hominum forma impressa est. Cicero verò de Oratore lib. 3.* Inusitata sunt, ait, prisca ferè ac vetusta, & ab usu quotidiano sermonis jam diù intermissa, quæ sunt Poëtarum licentiâ liberiora, quàm nostrâ; sed tamen rarò (rarò inquit) habet etiam in Oratione Poëticum aliquod verbum dignitatem.

Sed non nostro primùm tempore gliscere cœpit, hæc Antiquariorum secta; nec nova, sed vetus cuculi, hoc nostro seculo renovata cantio est; & curiosorum hominum, nunquam non ab eruditorum consensu recedentium, per-versa consuetudo est. Quam Favorinus Philosophus, ut apud Gellium legitur, in Adolescente quodam, veterum verborum cupidissimo, & plerasq; voces & ignotissimas, in quotidianis communibusq; sermonibus expromente; veterum Romanorum exemplis jam olim redarguens: Curium, Fabricium, Coruncanum antiquissimos Romanos,

H

planè,

56 Ad Antiquariorum Objectiones
planè, dilucidè, cum suis fabulatos esse ait: eum
verò perinde quasi cum matre. Evandri nunc lo-
quatur, sermone ab eo tempore, multis ab annis
desito uti, quòd scire atque intelligere neminem
velit, quòd dicat. Quem, ne illotum à se dimittat,
hoc insuper lixivium eidem affundens: Nonne,
inquit, homo inepte, ut quòd vis abundè conse-
quaris, taceres? Sed Antiquitatem tibi placere
ais, quòd honesta, & bona & sobria & modesta
sit. Vive ergò (*arrigite hìc aures, si qui adestis:
Antiquarii*) vive, inquit Favorinus, moribus
præteritis, loquere verbis præsentibus: atque id,
quòd à C. Cæsare, excellentis ingenii & prudenti-
tiae viro, in primo de Analogia libro scriptum est,
habe semper in memoria, atque in pectore; ut
tanquam scopulum, sic fugias inauditum atque
insolens verbum. *Hæc Favorinus.*

*Simile profert exemplum Cicero in Bruto,
Sisennæ cuiusdam: Qui quasi emendator sermo-
nis usitati cum esse vellet, ne C. Ruscio quidem ac-
cusatore, ut ibidem asserit Cicero, deterreri po-
tuit, quò minus in usitatis uteretur. Verba Tul-
lii ita habent: Ille (Ruscus) fuit accusator vetus,
quo accusante Chirtilium, Sisenna defendens
dixit,*

dixit, quædam ejus Sputatilica esse crimina. Tum C. Ruscus: Circumvenior, inquit, Iudices, nisi subvenitis. Sisenna quid dicas nescio; metuo insidias. Sputatilica, quid est hoc? Sputa quid sit, scio; tilica nescio, maximus risus. *Et ut Sputatilicum istum, hominem levem, à sputo probè sic lotum, lepidissimè depecteret Cicero, subjicit: Sed ille tamen familiaris meus, rectè loqui, putabat esse inusitatè loqui. Quem Simioli quidam hodiè amulantes, rectè loqui belleq; (loquor Criticè) vociferari se putant; quando istius exemplo, ad ostentationem ingenii, inusitatissima & obscurissima quæque in medium proferentes, Plauti autoritate defendere conantur. Plauti verba sunt, inquiunt, qui doctissimorum hominum calculo, Latinitatis fons omnium uberissimus & limpidissimus habeatur, bonisq; verbis ac figuris abundare dicatur: qui proprietatem & elegantium atque Atticam illam Venerem suppeditet. Non autem hìc queritur, de Plautina Latinitate & elegantia: sed de Novitiorum quorundam putrida, parumq; sobria Vetustatis imitatione, qui ex veterum Poëtarum thecis, quid, pro quo, pro Attica venere ac margaritis,*

quisquillas & stercora deligunt colliguntque: *βαλανοφάρων* similes: inventis qui frugibus, glandibus vesci malunt. Segreganda sunt igitur glandes à frugibus. Nam si Sturmio credimus, sunt quaedam Plantina, quæ perpetuò possunt usurpari: quaedam querarò: quaedam quæ insolenter, id est, cum quadam licentia: Idcirco ubi Hellenismis utitur & Græcos imitatur, *δίακριτον* discretionem adhibendam præcipit.

Nostrates verò Antiquarii, novæ-priscæ cujusdam Latinitatis fabri, non modò sine discretionem priscis utuntur vocibus: sed & cordialissimi Dn. M. Lolhardi sequentes Grammaticam, præter alia, quæ proximè memoravi, (utrum verba an portenta sint nescio) mirabiles: cudunt Superlativos, qualis est ille: multissimus, & hunc autoritate Ciceronis suffulcire nituntur. Quà cum me, hanc ipsis temeritatem exprobrantem premi viderem: ego, à Ciccone corrupto, ad incorruptum provocans, in Epist. Ciceronis, quæ allegabatur, scriptum reperio: multis modis, non multissimis. Ita hi Cicermanni, à Cicerone destituti, perdità victorià triumphabant scilicet.

ezma
ms.

At

At hic objicient consimilem Superlativum, ex Curculione Plauti, qui oculissimum ostium, oculissimum hominem, pro charissimo dixerit. Ita enim Lena anus, Phadromum Adolescentem salutans: Salve, inquit, oculissime homo. Et idem Phadromus, magis in puella adamatæ domum, quam Æsculapii Fanum; quo de Palinurus servus verba fecerat, intentus: affectum suum, erga dictæ domus ostium, his verbis declarat:

Plaut. in
Curcul.
Act. 1. Sc. 1.

Huic (Fano) proximum illud ostium oculissimum.
Salve: valuisti usque, ostium oculissimum.?

Plaut. in
Curcul.
Act. 1. Sc. 1.

Hunc verò Superlativum (oculissimum) tanquam adulterinum nummum, cum privatorum duntaxat hominum, Adolescentum sc. Comico- rum, Amatorum, Lenarum sive Luparum; non Principum Eloquentiæ, formam impressam habeat: Possessoribus & Monetariis suis (a quibus Scenæ inferviens Poëta mutuatus est) in Lupanarium remittimus. Quamvis ex Doctis nonnulli, Oculissimum ostium legendum existiment. Quorum judicia Fr. Taubmannus, in Notis suis ad Curcul. Plauti, recenset subsequen- tibus verbis: Post Camerarium observavit etiam

Gruterus, non solum in MSS. Palat, expressè legi *Occlusissimum*, uno excepto, qui *Occulissimum* præferat, deinde tamen mutatum: illud-
 que versum, ait postulare, non *Oculissimum*.
 In meis sola Brix. habet *Oculissimum*: cæteræ omnes, *Occlusissimum*, quod ego quidem germanum omninò cenfeo: ob tam pertinacem veterum libr. consensum: & quia fores ferè tales erant, hoc est, *Occlusissima*: & quia in Menach. ab amica exclusus, simili formatione se *exclusissimum* lamentatur. Verùm enim verò sicut iidem, voces nimis absurdas & insolentes, vel proprio Marte consingunt: vel ex Pacuvio, Cæcilio, Plauto, aliisque vet. & vi Patribus, exoletas jam multisq; seculis obsitas colligunt, & velut gemmas ac stellulas, suis, quas nobis offerunt, vociferationibus (Sic enim Declamationes appellitant) magnà copiâ infartunt: ita scientiam ut ostentent suam, minus usitatas, asperasque compositiones, compositorumq; prononciationem curiosius affectant: nec absque magnorum autoritate virorum, hoc se facere autumant. Cujusmodi sunt: Postmeridianus, medidies, &c. Hanc vero prononciationem, ceu parùm jucundam, & ab
 ho-

hominum doctorum conſuetudine remotam, Ci-
cero in Oratore ad M. Brutum, rejicit; ſua vita-
tis cauſa libentiùs ſe dicere ait: pomeridianus,
quàm poſtmeridianus; meridies, quàm quod in-
ſuauius eſſe dicit, medidies. Sic eoſdem cum ve-
 teribus Poëtis iuvat ſcribere, eſfero & eſfari, &
 qua ejuſdem ſunt farina, inlicò, inluſtris, quàm
 illicò illuſtris; Item abſer, abſugit, abmo-uit, ex-
 dixit, exhibit, ſubſtulit. Item innavi, innari, in-
 noti, quàm quod Tullio noſtro videtur dulcius:
 auſer, auſugit, amo-uit, edixit, ignavi, ignari, & c.
 ut & Iniquum, Occiſum, Tricipitem, Inſipien-
 tem: quàm quod ſpinofiſ placet Criticis: Ine-
 quum, Occaſum, Tricapitem, Inſapientem.
 Quæ ſic pronounciata, nimis inſipida & inſul-
 ſa ſunt.

Simili Antiquorum κακοῦνδία, qui Conſonan-
 tes & Vocales quafdam, propter mutuam earum
 cognitionem variè uſurpârunt; atque in ſcriben-
 diſ quibuſdam uoculis, inter ſe commutârunt:
 alias, per C uel G, ut Curges uel Gurges; alias,
 per C uel D; alias, per C uel Qu, & alias ali-
 ter. Ita quod eſt inuſitatius, Hi mox arripien-
 tes, malunt (quod & enunciatu difficilius, & au-
 ditu

ditu durius est) dicere *Curges*, quàm *Gurges*; quocquod, quàm quodquod; *Cabinus*, quàm *Gabinus*; *cotidianus*, quàm *quotidianus*; *cotidiè*, quàm *quotidiè*. Etsi verò docti nonnulli *cotidie* scribunt: *Camerarius* tamen, & *Aldus Manutius*, *quotidie* scribendum existimant. *Quotidie*, inquit *Aldus*, quod componitur ex *quoto die*, cur non scribam, cum Antiquis? *Quintilianus* enim ætate suâ *cotidie* dictum significat. Verùm enim in hoc vetustiore consuetudinem magis probo. Alioqui, ut *cotidie*, sic dicerum esset *cotannis*: quod ineptum & contra consuetudinem esset, assentiente *Virgilio Carpenfi*. *Lapides cottidianus* habent. *Quotidie* verò duplici ut *Poëtæ* scribunt, *metri causâ*: ut in *Relligio*, *Relliquiæ*, *Rettulit*. Quo cum facit *Magnus ille Aurelius Cassiodorus*, in suo de *Orthographia* libro, in hac verba differens: *Quotidie* sunt, qui per *Cotidie* scribant, quibus peccare licet: desinerent, si scirent, *Quotidie* inde tractum esse, à quot diebus, hoc est, omnibus diebus. Beda verò distinguens, *Quotidie Adverbium Numeri*, per *Q* scribendum est, inquit, non per *C* ut quot diebus: *Cotidie Adverbium*

Enun-

Enunciationis, per C & O dicitur & ſcribitur, non per Q, quia non à quota die, ſed à continente die dictum eſt.

Sic magis iſtis libet ſcribere, Anticus, quàm Antiquus; Arquus, quàm Arcus; Oquulus, quàm Oculus; Eculus & Eculeus, quàm Equulus & Equuleus. Libet etiam ab Ecula, Equula ſive Equa, monſtroſos pullos componere & excludere: Echortulanos ſive Equartulanos, hoc eſt, Stutgardianos.

En nova, & antehac inaudita, non in matris Evandri veteri Gymnaſio facta: ſed in ſtulta Philaſias officina, ſive ſterquilinio, recens fabricata verborum prodigia!

Quidam verò, ac ſi Ciceroniana Eloquencia, literarum in dictionibus adjectione, vel eliſione conſiſteret; egregios Ciceronianos eſſe ſe ſomniant; ſi, quoties nomina Hortenſius, Quintius, Quintilis in Epistoſis & Orationibus Ciceronis occurrunt, Hortenſius legant, Quinctius & Quinctilis.

Hic verò, ſalvo tamen non poſtrema claſſis Autorum iudicio, quibus hoc nomen Quintius, per et ſcribendum videtur; huic falſa Simiolo-

64 Ad Antiquariorum Objectiones
rum persuasioni, Clarissimi & Consultissimi Vi-
ri, Joh. Thomæ Freygi, Altorfiana Academia
Professoris quondam celebratissimi, probabilio-
rem hac in re oppono sententiam; in Notis ad
Orat. Cic. pro P. Quintio ita differentis: Legunt
hic quidam, Hortesii, pro Hortensii; Aquillii
pro Aquilii; Quinctius pro Quintius, & alias ali-
ter. Sed in his puerilibus Ciceronianis imitato-
ribus, nihil Ciceronianum erit. Prudentiam &
solertiam Inventionis, & accurationem Dispo-
sitionis, malim animadverterent isti, ex Saturni
Podice Antiquarii.

Quæ si vobis, Ecquartulani, duriora vide-
buntur, non mihi, sed Freygio irascemini. Cujus
ego Dictum propterea adduxi, ut Auditores no-
stri, veram Ciceronis imitationem, non in istis
minutis, puerilibusq; scrupulosè confectandis: sed
multò magis, quòd Freygius hoc loco monet, in
prudencia & solertia Inventionis, & accuratio-
ne Dispositionis sitam esse intelligerent. Mihi ve-
rò perinde est, sive Quintius, sive Quinctius,
maximus, sive maxumus; quotidie, sive cotidie;
expecto vel exspecto, quis dicat scribat vé (quam-
vis Latinitatis Principe ipso Cicerone Judice),

nun-

nunquam non rationi preferenda sit Pronunciatio-
tionis suavitas) modò dictio sit apta, non obscura,
nec stylo Romano repugnans, neque Seniores, in-
corruptam dicendi scribendiq; consuetudinem re-
tinere cupientes, de ponte dejecerit.

Sic quoniam veteres Romani, H aspiratam,
& alias quasdam sunt literas, nempe Y & Ph, tã-
quam Barbaras averfati, ab iisdem & ipsi ab-
horrent, scribentes hodie, pulcros & triumphos.
At Tullius noster, cui suavior dulcescit pronun-
ciatio, pulchros & triumphos dicendum esse mo-
net. Sic Ennius nati vi sermonis tenax, semper
scripsit Fruges, non Phryges, Purrus, non Pyr-
rhus. Idem verò Tullius, auribus magis, quam
scientia morigerandum esse ratus, antiquam il-
lam Ennii fcriptionem exautoravit, proq; Lati-
na vocali V, Græcam Y retinens, Phryges, non
Fruges; Pyrrhus, non Purrus scribendum & e-
nunciandum esse existimavit. Ex eadem ratio-
ne ac fundamento, non lacruma sed lacryma, non
murrha sed myrrha, non inclutus sed inclytus, ex
Græco ἔγκλυτος, elegantia Studiosis scribi placet. Ju-
lius porrò Caesar, autore Quintiliano, primus
erat, qui litera V in quibusdam Latinis vocibus,

Cic. in O-
tore.

in I mutata, non maximum, optimum, sed maximum, optimum, scribere ac dicere est solitus. Cujus auctoritatem, ut idem ait, posteriores quoque sunt secuti. Et nos hodie sequimur, illud Horatii de Art. Poët. attendentes:

————— mortalia facta peribunt,
 Nedum sermonum stet honos, & gratia vivax.
 Multa renascentur, quæ jam cecidère, ceciditque
 Quæ nunc sunt in honore vocabula, si volet usus.
 Quem penes arbitrium est, & jus & norma loquendi.

Non igitur hic veteres Poëta, non veterum Jurisconsultorum Codices & Leges, multò minus Lapidaria aut lapides consulendi: sed quid usus & consensus eruditorum postulet, maxime considerandum. Nam fuerit penè ridiculum, ut Quintilianus ait, malle sermonem, quo locuti sunt homines, quàm quo loquuntur, nihil aliud veterem sermonem esse innuens, quàm veterem loquendi consuetudinem. Sed huic ipsi necessarium esse iudicium constituendum monet, imprimis id ipsum, quid sit, quod consuetudinem vocemus, quasi ex eo quod plures faciunt, nomen accipiat, periculosissimum dari præceptum, non orationi modo, sed quod majus est, vitæ. Quem locum subsequenter claudit verbis: Ego consue-

ſuetudinem ſermonis, vocabo conſenſum erudi-
torum: ſicut vivendi, conſenſum bonorum.

*Sed inſtant Antiquarii, denuò nos autorita-
te Ciceronis prementes, qui & ipſe nonnunquam
ejuſmodi Veterum ſcriptione uſus fuerit, ut:
maximus, inclutus, voſter, quoi, joura, &c.*

*Uſus eſt ille quidem, in libris de LL. non ex
ſua ſententia loquens, ſed veteres Leges citans.*

*Qualis eſt illa: Quoi auro dentes vincti eſunt, Cic. 2. de L
aſtim cum illo ſepeliretur. Et altera: Nei joudi-
cium faxit, aut qui ps endo eo im Ioure vindicit.
ubi priſcâ loquendi formâ, nei pro ne, qui ps pro
quis, endo pro in, im pro eum, joure pro jure di-
ctum fuit. Idem, (ut ex veteribus apparet li-
bris) aliis quoque uſus Priſcorum eſt vocabulis,
in Catone Majore & Lælio: in quibus viros an-
quos inducit, de amicitia & Senectute differen-
tes. Ubi perſonis inſerviens, cui libet decentem
tribuit orationem. Qua de re ipſum loquentē au-
diamus: Genus autem hoc ſermonum, inquit, Cic. in Læ
poſitum in hominum veterum autoritate, & eo-
rum illuſtrium, plus, nescio quo pacto, videtur
habere gravitatis.*

Sic quoque ingeniosissimus juxta & festivissimus Veterum Poëta Plautus, quo de supra diximus, in Comædiis suis Decorum, cujus in effingendis hominum moribus erat studiosissimus, antiqua passim immiscens, quæ illo etiam tempore, non apud omnes in usu erant, alium seni, alium adolescenti, alium homini Politico, alium agresti tribuit sermonem. Unde Sturmius, quemadmodum & Philip. Melanchthon, quorum Dicta supra allegata sunt, cum quadam discretione hunc Autorem legendum monent, ut obsoleta quadam ejus verba fugiamus. Qualibus Histriones, (qui sicut non uno eodemque vultu aut gestu corporis, ita nec sermone utuntur) è trivio & rure revocatis, semibarbaris & rusticis, Rusticorum, Servulorum, Lenonum, parasitorum, aliorumque personas representantes, risus captandi gratiâ, nonnunquam licentiosius usi sunt. Cujusmodi quoque personas, Germanorum Poëta, apud quos celebris olim fuit, Joan. Saxo Norimbergensis, in Comædiis vernaculo sermone scriptis, introducunt: quæ scena inservientes, ridiculis suis gestibus & idiomate rustico, Spectatores suos frequenter oblectant & exhilarant; tantaque voluptate

ptate oblectant atque exhilarant, ut multitudi-
 nis applausu riſuq; univerſum ſapè theatrum per-
 ſonet. Omnes enim, qui probari volunt, inquit
 Cicero, voluntatem eorum, qui audiunt, intuen-
 tur: ad eamq; & eorum arbitrium, & nutum
 totos ſe fingunt & accommodant. *Quod au-
 tem à noſtris fit Poëtis, & Germanicorum Phaf-
 matum Actoribus; idem cùm ab aliarum Natio-
 num, tum Gallorum fieri ſolet Hiſtrionibus; in-
 ludendis Fabulis, Fartorum, Bubulcorum, alio-
 rumvé agreſtes & inſulſos ſermones emulanti-
 bus. Cùm quibus ſimiliter, Edmundus Richerius
 Gallus (cujus in Oratione priorè, de affectatæ ob-
 ſcuritatis Autoribus, audi vimus judicium) Plau-
 ti, variis hominum ſeſe ut accommodaret inge-
 niis, de industria ſic ab ipſo excogitatum, anti-
 quum ruſticanumq; dictionis genus comparat, ita
 ſcribens: Cùm ergo univerſos Latinæ Linguæ
 uſus, non vivis ampliùs, ſed mortuis librorum
 monumentis conſcribatur: ab aliis certè, quàm
 probatis & luculentis auctoribus, Terentio,
 Cæſare, Cicerone, & conſimilibus; nequaquam
 autem à Plauto, iſtam loquendi normam expi-
 ſcari*

E. Richer. in
 Obſetr. Ani-
 morum
 cap. 5.

scari convenit, qui, ut erat ingenio hilari & factotopræditus,

(Populo ut placerent, quas fecisset, Fabulas)

novam quandam, rusticanam, impropriam, inelegantem, & inauditam dicendi formam, sæpe de industriâ excogitavit; Comœdiasque suas frequentibus Hellenismis, Archaismis, Solæcismis, & dictionibus barbaris persperfit: nihilò feciùs, quàm hodie Gallici fabularum actores, non doctiorum, aut politorum; sed bubulcorum, opificum, & agrestium hominum, (maximè verò Pictonum & Picardorum) sermonem perquirere, ac æmulari solent: ut hac novitate, faciliùs auditores & spectatores suos, tanquam ille Parmenio, retineant: qui suis grunnitum, machinarum, trochlearum, asinorumque rudentium stridorem, tam gnaviter exprimebat; ut hâc illecebrâ plebem imperitam deliniret, & grandem pecuniam cumularet.

Quod si nunc alius quispiam, extra Theatrum, in nostro vernaculo sermone, in publicis conventibus, similibus Agrestium vocibus lasciviens: Btiis / pro Bâchs diceret, vel jâhen / oder geheden / pro sagen oder gesagt / knuijen / pro knien:

aut

aut ut vulgus *Barvarorum* & *Austriacorum* lo-
qui solet: *Diendl* / pro *Leonhard* / *Kiepel* / pro *Rus-
precht* / *Marisch* / pro *Margaret*: vel ut *Saxones*
loquuntur: *scetten* / *Kohl* / *Knocken* pro *f.essen* /
Keel ond Mattschenkel / nonne ab omnibus ride-
retur atque exploderetur? nec immeritò.

Exempli duntaxat causà, non hujus vel il-
lius *idiomatis* reprehendendi studio, hec in mediũ
profero. *Singula enim Nationes*, adsciverunt
aptum suis auribus *ditionis genus*, quod inter
suos *satis politum* & *elegans* habetur: quamvis
à vicinis, ceu *opimum ac insolens* rideatur. His
addere libuit, quæ *vulgus* & *Gens rusticana* ex
corrupto Latino sermone, quem non assequitur;
nimis insulsa & *ridicula* solet efformare ac fabri-
care *vocabula*. *Qualia sunt*: *Sazler* / pro *Ganz-
ler* / *suppricieren* pro *supplicieren* / *Belzebock* / aut
Sprinzupal pro *Principal*, *Lepetarius* pro *Se-
cretarius*, *Burgl* pro *Orgel* / *die Alteche* / pro
Dialthea, *Pockstem* pro *Apostem*.

Hæc rancida & rustica, variasq; & auri-
bus hominum urbanorum injucundas asperasq;
quas modò dixi, dialectos, si quis undique conqui-
reret, atque prodigiosos illos Antiquarios, à Stre-

bae notatos, sequens, à quibus partim Pacurvi-
na & Lucretiana, partim Chaldaea Hebraea, Per-
sica Macedonica, Graeca Latina, Barbarae pere-
grina, nota ignota, ab ineptissimis Scriptoribus
ita confusa, passim colligebantur. Hos, inquam,
si quis peruersissimo imitandi studio sequens,
ejusmodi peregrina, variis ex Linguis compila-
ta & commixta, in Locos communes referret:
atque ex his, & aliis, è Veterum vernaculo ser-
mone exaratarum, obsoletis multisq; jam seculis
obliteratis vocibus confarcinatam, putidè horri-
deq; pexam concionem, ad populum haberet; vo-
ciferans (loquor *ne luxūs*) quae nemo intelligeret:
non hunc Vociferatorem, atrà bile percitum insa-
nire? non optimum tempus pessimè perdere? non
Linguam patriam & nativam, nec sine dete-
stando parricidii scelere adulterare atque cor-
rumpere diceret?

Quare praeclaram uti merentur laudem at-
que commendationem, vernaculae qui Linguae pu-
ritatem, inviolatam custodire student: (Quo no-
mine à multis Nostra, Lutheri, aliorumq; labo-
ribus & industriâ, suo nitore restituta: ab Erycio
Puteano, Lovaniensium Professore Clarissimo,
Bel-

Belgica, ut pura, nulloq; dictionis exotica fuco inquinata, celebratur) Sic meritò detestandi, atque abominandi sunt, qui (sicut Idem in Suorum quorundam, domi suâ Linguâ peregrinantium mores invehitur) stultissimâ ambitione violant Patriæ Genium, & spreto Linguæ toro, adulteria quærunt corruptarum vocum; interpolare audentes, & corporis simul & fermoris decus.

E. Puteanus
in Palæst. Bonæ
Mentis.

At qui tales, ejus duntaxat Linguæ, quæ unius est Provincia, corruptores sunt: Latina verò Linguæ, in omnes totius Orbis Regiones plagasq; sese extendentis, præ cæteris, usus est omnium longè maximus: qua, in Peregrinationibus, in Legationibus, in doctorum hominum congressibus, in publicis de Fide & Religione Colloquiis & Disputationibus, carere omninò nequimus.

Et ut cætera nunc incommoda præteream, ad externos Reges & Principes, ejusmodi Orator missus, quicquàmne, quod Reipub. utile ac salutare fuerit, ab illis impetrabit? aut, ut isti loquuntur, apud eos impetrassere valebit? subindè Sisenniana sputatilica, areas herbosas, (sic enim

Vociferator talis, suos Auditores compellavit) coagmentatas adorarum lernas, & similes quernas, Suevicâsve (quas paulo post concuti- am) pellucens Lucernas crepans, atque cascâ il- la, insulsâ barbarâq; Pronunciatione: quoi & quoinam, ips & quips, ioudicia & ioura, obscu- ra dicta dicendo, agendoq; magis obscurans: qua- vel ipse Mercurius, Deorum Orator & Inter- pres audire, ne dum interpretari horreret. Quo- modo verò Favorinus, cuius supra meminimus, ejusmodi Rhetorem ipso Heraclito obscuriorem, exciperet? Diceret; Nonne homo inepte, ut, quod vis, abunde consequaris, taceres? fumos & tenebras nobis objicis, sensa mentis non expli- cas. Ita & Cicero pro Cluentio, Cepasum quen- dam ridet, quod ex tam multis Auditoribus ne- mo, quid ille sibi vellet, intelligeret.

Exemplo, si ita placet, domestico rem decla- rabo, quo Latine Orationis, consuetudini erudi- torum convenienter eleganterq; pronunciata, di- gnitatem necessitatemq;: contra verò insulsâ vi- tiosâq; actione deformatâ, fœditatem atque nulli- tatem intelligere possitis.

Accidit

Accidit Avorum nostrorum memoriâ, ut Nomen
 à Pontifice Romano, ad Illustrissimum Ducem
 Württembergensem Eberhardum, beatissima
 memoria, Legati Itali mitteretur; ubi tum In-
 terpretis munere fungens Doctor Hechingerus,
 qui hoc suo cognomine, trito apud nos Proverbio,
 Hechingense Latinum, originem dedit; Curia
 Württembergica tum temporis Cancellarius,
 crasse illi, parumq; suavi, quâ tum communiter
 Württembergici utebantur, pronuntiationi as-
 suetus: cetera non indoctus, nec impolitus. Is
 cum Illustrissimi nomine, modo dictis Legatis,
 prisco illo, plebejo, & agresti sermone ac sono re-
 sponderet: Ceillissimus & Eillustreissimus nro-
ster Prainceips einteilleixit, sicq; captâ responso-
 nem continuare pergeret. Itali hanc interrump-
 tentes: Profecto, inquit, hunc hominem non
 possumus intelligere. Principi, ne sine Responso
 Legatos dimitteret, mox de alio quodam Latina
 Lingua perito viro perquirenti, apparitores, sti-
 patoresq; qui astabant, Reuchlinum Capnionem,
Studiosum Tubingensem, adesse dicunt; Docto-
 ris Hechingeri famulum: qui probe Linguam La-
 tinam calleret, apteq; pronuntiaret. Accersi

mox Princeps jubet famulum, eumq^{ue} interrogat, num in presenti negotio Interpretis munere perfungi queat? Ille se Deo bene juvante, tentaturum pollicetur. Cancellarii itaque tum vicem agens Reuchlinus, Orationem Latinam elegantiam admodum pronuntiatione condecoratam ornatamq^{ue}, in illustrissimo splendidissimoq^{ue} Principum ac Nobilium consessu tum habuit; tanto Nobilitatis applausu, ut non Aulicis tantum; sed & ipsis Italis admirationi esset, qui Principe audiente dixerant: Certè hic Famulus debebat esse Doctor, & Doctor Famulus.

Hæc igitur scripturiendi, vociferandi, (sic enim loquuntur) sciteq^{ue} pronuntiandi Sifennianorum, in quos duabus hætenus Orationibus stylum strinximus, abominanda magis, quam adoranda mysteria; usitata illis voce, si sputatili-ca, hoc est, levia & tralaticia quis dixerit: Hunc ipsorum moribus convenienti, sed sordido vocabulo rem acutetigisse dicemus. Quæ, ut ex Agro nostro eliminentur atque relegentur, Collegæ & ego, quantum in nobis erit, omni contentione accurâ elaborabimus: Eloquentiæ Candidatos, ab istorum vesania, vitiosaq^{ue} affectati sermonis

con-

conſuetudine, quod ex officio nobis incumbit, nunquam non dehortaturi: atque *Sputatilicorum* antiquatis, putridis, peregriniſq; valere juſſis mercibus; egregias illas, domesticas, mundas, neque maculis *Navianis* & *Pacuvianis* pollutas, aliquanò digniores ac pretioſiores: hoc eſt, verba ſitata, in quotidiana conſuetudine poſita, propria, pura, elegantia, auribuſq; gratum & jucundum, non durum atque aſperum ſonum habentia, à puris, probatiſq; mercantur Mercato-ribus; Majorum & Præceptorum noſtrorum pià emulatione extimulaturi.

Etenim ſi *Cæſar* & *Cicero*, ratione adhibitâ *Veterum Romanorum* vitioſam & corruptam ſcribendi loquendiq; conſuetudinem, purâ & incorruptâ conſuetudine emendârunt (Id. quod de *Cæſare* in *Bruto*, ipſemet ſcribit *Cicero*) tum verborum *Latinorum* elegantia, adjunctis *Oratoriis* ornamentis dicendi, *Latinitatem* illuſtrârunt: *Quis* horum *Æmulis*, ſuperiore & hoc noſtro ævo fulgentibus, clariffimis *Luminibus*: *Ludovico Virvi*, *Carolo Sigonio*, *Jacobo Pontano*, *Scaligeris*, *Majoragio*, *Mureto*, *Manutio*, *R. Agricola*, *Fabricio*, *H. Stephano*, *Sturmio*,
Junio,

Junio, Hieron. Wolfio, Casaubono, Rittershusio, Heinsio, Th. Ad. Sibero, Floro? Quis Præceptoribus nostris, Mendlino, Hizlero, Lieblero, Heilando, Crusio, Burckhardo, Cellio? Quis Nobis vitio vertet? si per illos, qui circa mediam ætatem, in qua Latina Lingua puritas & elegantia floruit, vixere; partam & illustratam: per hos Nostros, à Barbarorum tenebris & fecibus repurgatam & sustentatam; in nostra quoque Academia, contra præposteros istos Antiquarios tueri, atque retinere cupiamus.

Quod si autore Melanchtone, nulli de hominum ingeniis melius mereri videntur, quam qui exercitationem dicendi adjuvant: adjuvare hanc qui poterunt, ejusmodi qui Vociferatores ferunt? si, quibus Romana ab illis aspergitur Eloquentia, sordes ne vosq; non deluendos? qui has verrucas non exscindendas? Novitiorumq; Criticorum spinas non a verruncandas? non radicibus evellendas? Vulcanosq; consecrandas putaverint?

In hæc Seniorum & Præceptorum, quos modo nominavi, exempla intuens, de muneris mei ratione, diligentius cogitare cœpi. Versatur etiam-

iamnūm ob oculos Ismenia Tibicinis, cuius in superiore oratione memineram, optimus instituenti modus: ut quemadmodum is Discipulis suis, non minūſ ostendebat malè canentes, quàm scitè canentes: sic ego secundū Fabii, Oratorie Professore instituentis Præceptum, Meis, non tantū benè dicta, sed & malè dicta indicem: ad hunc modum canere, vel ad hunc modum dicere oportet, ad illum nequaquam.

Fuit & Universitatis Nostræ Statutum, à me minimè negligendum, ita loquens, auresq; meas vellicans: Inprimis etiam omnes omnium Facultatum Censores operam danto, ut antiquæ omnisq; sordidæ Latinitatis stulta Aemulatio, quæ veræ puræq; dictionis, vix dum magno labore & vigili studio renatæ, perniosa pestis est, ubique exterminetur, eliminetur, explodatur.

Novit etiam me gravissimè juxta & prudentissimè Viri, Dn. Antonii Fabricii vox (cuius in superiore quoque ^{13.20.} Actu facta est mentio) malè Reipub. Christianæ ominantis; dum vereri se scribit, ne ejusmodi, Orationis mutatio; quæ alias quoque Academies passim infe-

80 Ad Antiquariorum Objectiones
stet, voluntatum quoque ac temporum inclina-
tionem sensim ingruentem portendat.

*Movit imò permovit atque excitavit me,
Lutheri in conservandis Linguis (è quibus, usum
si spectes, Latina haud postremum tenet locum)
vigilans studium & cura: Qui, nisi eas in Scho-
lis ab interitu vindicaverimus, Evangelii jactu-
ram nos aliquando passuros, jam olim predixe-
rat. Quemadmodum videre est, ex ejus libello
quodam, ad Magistratus & Senatores Civita-
tum Germania, de instituendis Scholis scripto: in
quo, Linguas longè pulcherrimis exornat Epithe-
tis: quas, nunc vaginas nominat, in quibus gla-
dius ille Spiritus, nempe Verbum Dei teneatur
insertus: nunc Arcas sive thecas repositorias, qua
repositum hoc nobile $\kappa\epsilon\mu\acute{\iota}\lambda\iota\omicron\nu$ asservent; nunc Pocu-
la, quibus salubrem hanc potionem exceptam cir-
cumferamus: Cellas promptuarias, ex quibus
promus Concionator, hac Evangelica cibaria de-
promat: Cophinos denique, in quibus panes unà
cum piscibus, adeoq; reliquiarum fragmenta, ne
pereant, custodiantur.*

*Cui Linguarum praconio, hanc ibidem sub-
nectit comminationem: Quod si nobis, inquit,*
supi-

supinè stertentibus, fors dicta refutet, ut per incuriam labantur Linguae; timendum est, ne non Evangelium solùm amittamus; verùm eò miseriarum veniamus, ut in pristinas Papatus tenebras relapsi, nec Latinam Linguam, aut sermonem patrium rectè eloqui, aut scribere calleamus. Cujus calamitatis horrendum Vniversitatum & Monasteriorum exemplum, nobis autem vellat & moneat, in quibus Evangelium strenuè dedidicerunt: Latinamque Linguam adeò miserè corruerunt: ut homines excusso rationis judicio, tantùm non in *θηριότητα*, ferinam scilicet naturam degenerantes, ipsas projectâ humanitate, bestias superaverint; & Latialis & patriæ Linguae juxtâ ignari. Et profectò non multùm aberat, quin etiam cõmuni sensu fuissent privati, egregii illi Linguarum & ingeniorum corruptores.

Luthero suffragatur Casaubonus: qui depravationi Theologiae, omniumque aliarum Scientiarum, quae superioribus seculis sub Papatu contigit; occasionem quidem Gothorum & Al- Alano banorum invasiones præbuisse scribit: at causam illius propiorem ac veram, fuisse rationem stu-

diorum per-versam, & in liberalibus Disciplinis
pravam institutionem, ac Linguarum simul, &
universæ literaturæ melioris ignorationem.
Quo in loco, præstantissimum illum Philosophum
Sinesium allegat, qui multò antè hanc perditio-
nem prædixerit: cum rationem studiorum per-
verti à suis Æqualibus cerneret: quemadmodum
& hodie à Nostris quibusdam, simili planè cona-
tu perverti cernimus.

Hæc Casauboni verba, Lutheriq; gravissi-
mam, quam modò dixi, comminationem, legen-
ti nuper ac meditati, incidit notatu dignum,
quod apud Ciceronem Cato Major, ex veteris
Poëtæ Nævii Ludo adducit exemplum, quod-
quæ non in commode huc quoque accommoda-
ri potest. Ubi cuidam ad hunc modum percont-
anti:

Cedò, quì vestram Rempub. amisistis tam citò? Respond.

Proveniebant, vel ut quidam legunt.

Provehebantur Oratores novi, stulti, adolescentuli.

Sic (quod tamen omen Deus avertat) percontan-
tibus olim ex nostris Posteris: Cedò, quì vestram
Rempub. tantam? quì tantam Evangelii Lu-
cem? tantamq; , quæ multis Regibus & Populis
non

non contigit, ~~vestram Felicitatem amisistis~~ tam
 citò? Ostupidi, & ingrati Germani!
 Respondebitur fortasse à Posteris, ut stylus illius
 seculi feret, à Barbaris emendatus, sermone pri-
 sco-novo & corrupto:

Proueiniebant Voceferatores, stolti adule-
sceintoli. Qui, nostro quoque in agro jam gliscen-
 tes, ne aliquando fœcundiores proveniant, ma-
 gnoq; cumulo repullulent, metuendum est: nisi
 Deo nos iuvante; accuratiorem Latinae Linguae
 in Scholis propaganda, conservandaque curam
 gesserimus.

Quo verò pacto fidelem hujus rei curam ges-
 serimus? Si vel Criticorum novitiorum, quos
 dixi, insolentiam & barbariem, longius in Scho-
 lis nostris grassari; vel inuerso & præpostero insti-
 tuenda pubis Ordine, posthabito Grammaticæ
 studio; ad Scholas Dialecticas, Physicas, & Me-
 taphysicas, præmitti, sicq; philosophari, antequam
 fari sciant, passi fuerimus?

Intellexistis, opinor AUDITORES, (ad meos
 me conuerto) quenám vera, quæ falsa scribendi
 dicendiq; sit ratio, idq; ex præstantissimis, sele-
 ctissimisq; Latinae Linguae Autoribus, Cicerone,

Cæsare, Quintiliano, iudicibus hac in re quàm optimis, intellexistis. Hos sanè, Antiquitatis purioris studiosi qui sequuntur, eos, & quidem potiore jure Antiquarios, germanos scil. & orthodoxos appellandos existimamus. Cujusmodi & Regius ille I. C. Budæus, & nobilissimus Poëta Fridericus Taubmanus, requirunt: Simus Antiquarii: (verba Taubmani sunt) sed pro sapientia & seculo Cæsaris, & aliquot Augustorum.

Nolite seniorum verorumque Antiquariorum prudentiam, prurientium Adolescentulorum temeritati, Romanæque Eloquentiæ puritatem, Pacuvianis verrucis, Hechingensique Latino postponere: atque exemplo Mercurii; qui, ut proximè dictum est, suam admiratus, Jovis & Junonis parentum suorum imagines risit, atque despexit; rejectis Julianis Tullianisque statuis, vestra idola adorare ac colere.

Audistis porrò, quanto in honore ac pretio habendum, præclarum hoc & cæleste, divino nobis munere concessum Linguarum & Orationis decus ac beneficium: quantusque in illis,
tan-

tanquam in arcis & thecis Archivi Spiritus
 Sancti, theſaurus reconditus ſit. Nolite tan-
 tum hunc veſtrum Evangelii theſaurum, has
 pretioſas margaritas, pedibus conculcare, &
 porcis objicere. Fugite impuras illas Merca-
 trices, quas in hac extrema Mundi ſeneſta, ut
 ſuprà audiſtis, paſſim negociaturas, pridem
 ac verè quidem prædixit Apoſtolus; neque Ephes. 5.
 quod idem præcipit, commertium habete cum
 operibus infrugiferis tenebrarum, quin ea po-
 tiùs arguite. Et idem iterum ad Coloffenſes, Coloff. 4.
 ne dicacitate & ineptiis veſtris, quales etiam
 ſunt, quas modò reprehendi, Auditoribus mo-
 leſti ſitis; pulcherrimâ Metaphorâ, à Merca-
 toribus petitâ; ſeriò graviterq; vos monet: τὸν
 καιρὸν, inquit, ἐξαγορεύόμενοι, hoc eſt, tempus redi-
 mentes, Sermo veſter ſemper cum gratia, ſit
 ſale conditus, ut ſciatis, quomodo oporteat vos
 unicuique reſpondere. Quomodo autem Apo-
 ſtolico Præcepto morem gerentes, interroganti
 reſpondebitis? aut ſermonis quæ fuerit gratia,
 ſi pro ſale candido, atram picem deligentes; ejus
 perſpicuitatem & ſuavitatem, obſcurè inſulſe-
 que

quæ vociferando, deturpare atque corrumpere perrexeritis?

Faceffant igitur, quibus Novitiorum istorum insolens, & corrupta placet oratio. Quam, ubicunque placere videris, ibi mores quoque à Recto descivisse, cum Seneca credideris. Nam (quod idem dicit) ut uniuscujusque actio dicenti similis est, sic genus dicendi aliquando imitatur publicos Mores. Si disciplina civitatis laboravit, & se in delicias dedit, argumentum est luxuriæ publicæ Orationis lascivia: si modò non uno aut in altero fuit, sed approbata est & recepta.

Absit à Christianorum Scholis: absit & à nostra Academia Magister ille, non à Sancto, sed atro emissus Spiritu: qui illud $\sigma\kappa\acute{o}\tau\iota\sigma\sigma\upsilon\nu$, hoc est, obscura, obscura, Discipulis suis inculcabat, & tenebris orationem involvi jubebat.

Non hec, candidi, sed nigri; non aperti, sed obscuri; nec minùs, ac vestis monstrosa, monstrosi animi index est.

Nolite

Nolite existimare, vos verborum portentosissimorum deliciis, ad verum laudis & gloria decus aspiraturos; aut Reipublicæ Christianæ, aut vobis ipsis usui & præsidio aliquando futuros. Non hæc, mihi credite, deliciae sunt, non; sed sentes ac spinae sunt, quæ viam virtutis intercludunt: non verba, sed portenta, sed verrucae sunt; quæ naevos & morbos Animi produunt. Hic, hic, ut idem monet Seneca, vobis curandus: ab illo sensus, ab illo verba exeunt, ab illo nobis est habitus, vultus, incessus. Illo sano ac valente, Oratio quoque robusta, fortis, virilis est. Si ille procubuit, & cætera sequuntur ruinam.

Summâ, φιλαυλίας & ambitionis, non sanae Mentis; lasciva Superbia, non eloquentis Sapientia, περιουσία vel germina sunt; fumi, fungi, inanes spes, speciesque quadam somniorum sunt: quæ prurientium Antiquariorum sociis, Suffenis quibusdam Adolescentulis, vigilantibus corpore somniantibus, accidunt. Quos quidem gravi dulci que somno sepultos, mihi nunc angustiâ temporis, excluso,

M

ad

Nolite

88 Ad Antiquar. Objection. Responsio.

*ad ea nobis narranda nec hodie excitare vacat:
propterea quòd hoc hora dimidium in Pseudo-
Criticorum Objectionibus diluendis consumera
necesse fuit. Sed & de istis, aliàs fortasse
dicendi dabitur locus. Quod
igitur reliquum
est:*

Cætera omittuntur.

E P I

EPIGRAMMA

*Ad Clarissimum & Præstantissimum
Virum:*

DN. M. CASPARVM
BUCHERVM: ORATORIAE
PROFESSOREM DISERTISSI-
mum: Amicum suum plurimum
amandum.



V sua Mercator collaudat aromata, merces
Atque modis novit pingere mille suas:
Exprimit utque feros hominum fera Simia mores,
Et nimum catulos diligit ipsa suos:

Sic sua collaudat Criticus censoria verba;

Sive nimis nova sint, sive vetusta nimis.

Hæc in deliciis habet: hæc in corde reponit:

Hæc habet ante oculos: hæc & in ore gerit:

Hæc mandat charta: solet hæc exponere luci:

His fruitur, tanquam nectare & ambrosiâ.

Hanc adamat Ranam Monstrosâ veste Dianam:

Nec quicquam hæc toto majus in Orbe putat.

Hos quoniam Criticos, BUCHERE, Vir Optime, mactas

Eloquii tersâ voce stylog, tui:

Barbariemq, fugas procul his ex finibus omnem:

Et docto Latias ore reducis opes.

*Ne facis aternâ quod dignum laude, quod ornat
 Imprimis spartâ pulpita digna tuâ.
 Non æquos mactas Criticos, tersosve Latinos,
 Mica quibus salis, & cum ratione sapor;
 Verba quibus sapiunt, Latium redolentia succum;
 Et quibus, ut nummi, verba recepta valent:
 Sed sciolos mactas, puro qui fonte relicto,
 Philtra è cisternis dulcius hausta bibunt.
 Tu ne cede illis, sed contrâ animosior ito:
 Conatum cause jus bonit asq; juvent.
 Tu fontem monstra, Criticisq; relinque lacunas:
 Purius è Latio fonte bibuntur aquæ.
 Sic decus usque tuum toto cantabitur Orbe;
 Donec erit Latium, donec & Orbis erit.*

Johannes Harpprechtus, J. C. & Antecessor
 in Academ. Tubing. Ordinarius.

I I.

*Quàm vereor Latio ne Mortem verba minentur
 Antiquata nimis, rancida, prisca nimis!
 Pelle Malum, doctâ Morbum citò pelle Medelâ:
 Sin minùs; ah! periit vocis honos Latiæ,
 Pelle Malum antidotis, BUCHERE, salubribus illud:
 Sin minùs; ah! aderit pristina Barbaries.*

ALIUD.

Favorin. apud
 Bellium l. c. 10.
 sive Moribus præ-
 eritis, loquere ver-
 is præsentibus.

*Verba colit nimium nostra Ætas sæpe vetusta:
 Quàm meliùs Mores sic coleret veteres
 Illius bene tu Sermonem ut corrigis: ó si
 Sint quoque qui Mores tam bene corrigerent!*

Henricus Wellingius, Latinarum Lite-
 rarum Professor, Tubingæ.

Si flo-

I I I.

Siflorescere voles Latia praconia Lingua,
 Sive voles purè verba Latina loqui;
 Sive notare voles stolidam novitatis amantes,
 Aut cupidos tantùm prisca sonare stylo;
 Doctum hoc BUCHERI monitum volve atque reuolve,
 Sic discas purè verba Latina loqui.

Jodocus Colb, U. J. D. & bon. art.
 in Acad. Tubing. Professor.

I V.

Magna olim Criticum tollebat gloria nomen,
 Hoc sine librorum nec decor ullus erat.
 Scilicet ingenii cum fines viximus intra,
 Recta quæ judicii regula nostra fuit.
 Qualis Scaligeris, Budeo, qualis Erasmo
 Contigit, & nuper Lipsiada, atque aliis.
 At postquam stultis placuit quoque volvere libros,
 Et tumidum his alas addidit ingenium:
 Pro Criticâ, insanus cœpit crebescere morbus,
 Heu quantum Latio jam dedit ille stragem!
 Huic BUCHERE animo dum forti occurris, & instas,
 Longiùs ut nequeat serpere triste malum;
 Non quale Æsculapio periturum Roma dicavit
 Templum, cum saxam pelleret urbe luem;
 Sed quale ingenii monumenta perennia donant,
 Tale juvat factis constituisse tuis.

Zach. Schæfferus, Poët. & Historia-
 rum Professor, Tubingæ.

V.

Qui Criticos simulant aut antiquaria scribunt,
 Atque novas lexes è Critico ore vomunt:

Va-

*Va. Critici verè mihi sunt, è podice nati
 Pordali, & Evandra ex ubere penduli anūs.
 Hos errare docet BUCHERI Invectio, jure q̄
 Is Pseudo Criticorum audit Hypercriticus.*

M. Johan. Baptista Weigandier,
 Professor Græcus & Latinus, F.

V I,

CAESaris ut placidas spectavit Roma secures,
 Illa tamen Mundi totius esset hera:
 Se quoque tunc Latia majestas viva loquela
 Extulit, & linguis jura superba dedit.
 Tunc aliquid vario sermonem pingere flore,
 Tunc Venus in verbis deliciosa fuit.
 Verùm ubi nati vi Genius sordere lepòris
 Caperat: eloquium perdidit omne decus.
 Ivimus in Veterum malè fausto Marte Lacunas,
 Et prior illu vides limpeditate fuit.
 Ivimus. hinc ipsis non delirata Sabinis
 Olim incomposito verba tenore fluunt.
 Hinc ipsam querit se Lingua Latina; nec audit
 Gloria Romani Tullius Eloquii.
 Hos contra Salios, BUCHERE, audentior ibis,
 Cui cura Ausonio puriter ore loqui.
 Si nil proficies: tandem hac (mihi crede) supremam
 Barbaries pariet barbara Barbariem.

M. Joan. Martinus Rauscherus,
 L. L. Studios.

Errata sic corrige.

Pag. 21. lin. 4. ἐὺφώνιος. p. 39. l. 21. πρὸς p. 52. l. 10. colore. l. 11.
 Magnif. p. 57. l. 19. elegantia l. 22. putida. p. 60. l. 18. infarciunt.
 p. 66. l. 15. penè. p. 69. l. 18. universus. p. 72. l. 10. exaratorum
 Codicum. p. 75. l. 4. mitterentur. p. 77. l. 6. aliquanto. l. 22.
 J. Joviano Pontano. p. 81. l. 1. deleatur: ut.

F I N I S.

igantier,
atinus, E.

auscherus,

ore. l. 11.
arciunt.
atorum
to. l. 22.

